














AUCTARIUM AD DESPERATISSIMAM CAUSAM PAPATUS

SIVE

Responsio ad Epistolam,

LIBERTI FROMONDI,

Prof. Ord. in Academiâ Lovan.

Quam inscripsit

SYCOPHANTAM.

AUTHORE

MARTINO SCHOOCKIO.

Philosophiæ Professore Ordinaria in Alma Groningensi Academiâ.



TRAJECTI AD RHENUM.

Apud WILHELMUM STRICK.

M. DC. XLV.



Errata.

PLuſcula, quàm vellem, tum propter typos minutiores, tum amanuenſis χακογραφίαν σφάλματα irrepſerunt, quę æquus Lector partim ſuo Marte, partim ex hoc ſyllabo facilè corriget, excuſatumque habebit authorem, cui nunquam correctioni adeſſe licuit.

Pag. 1. a. l. 39. *Suffenum.* ib. b. l. 27. *Studebat.* p. 2. a. l. 43. *Gnatonum.* ib. b. l. 29. *ob quam.* p. 3. a. l. 24. *Care.* ib. b. l. 16. *Patribus.* p. 4. a. l. 7. *& filio.* ib. a l. 21. *angelis.* p. 6. b. l. 4 *expoſtulabat.* ib. b. l. 24. *Heſkinſius.* ib. b. l. 26. *in Thomas.* ib. b. l. 43. *indicium.* p. 8. a. l. 9. *de Buſto.* ib. b. l. 20. *curriculo.* p. 10. b. l. 37. *& ſubmota.* ib. b. l. 40. *diceres.* ib. b. l. 43. *Patres convocat.* p. 11. a. l. 20. *petebant idem.* ib. a. l. 23. *ex Hungaris.* ib. b. l. 24. *quomodocunque cadit.* ib. b. l. ult. *adverſus unum.* p. 12. a. l. 16. *quod non concuti.* ib. b. l. 25. *Arn ldus.* ib. b. l 26. *dediſſet.* ib. b. l. pen. *deliciolo illi Gueſiorum.* p. 14. a. l. 6. *in Papatu.* ib. a. l. 7. *judicarunt.* ib. b. l. 26. *qua ò* ib. b. l. 34. *Smiglecium.* p. 15. a. l. 41. *Morſimi.* ib. b. l. 6. *abjecit.* ib. b. l. 24. λάχ…ν. p. 15. a. l. 30 *exprobrare bolos.* ib. b. l. 6. *Poteſtates.* p. 17. l. 15 *Patricii.* p. 20. a. l. 32. *ſubleſtis.* ib. a. l. 35. *Accii.* p. 22. b. l. ult. pro *ita*, leg. *tam diu.* p. 25. b. l. 40. *Doles.* p. 26. a. l. 22. *Michaël Bayus.* p. 27. a. l. 21. *& tamen ne ſemel.* p. 28. a. l. 33. parentheſis claudatur poſt *intererat.* p. 32. b. l. 15. *admixtas.* ib. b. l. 16. *illa.* p. 34. b. l. 16. *judici*, ib. b. l. 38. *per bene precari.* p. 37. a. l. 2. dele *autem.* p. 39. a. l. 22. *& contra*, ib. b. l. 40. *maccus*, p 40. a. l. 3. dele *tamen*, ib. b. l. 4. *Captivitate*, ib. b. l. 33. *& ubique*, ib. b. l. 35. λόγων, ib. b. l. ult. *potui*, p. 41. a. l. 43. *ſpargit*, p. 42. b. l. 36. *veſtrorum*, p. 43. a. l. 1. *qui cùm ante*, ib. a. l. 3. dele *&* ib. a. l. 7. *committebantur*, p. 44. b. l. 16. *è piſtrino*, p. 46. a. l. 43. dele *autem*, p. 47. a. l. 17. *Emſero.* p. 48. a. l. 46. *Smiglecius*, p. 52. a. l. 46. *Farellum*, p. 55. b. l. pro *Tertiò*, leg. *Quartò*, p. 57. b. l. 29. *tacere*, p. 58. b. l. 37. *Boram*, ib. l. ſeq. d. *ita*, p. 62. b. l. 16. *unde illud*, p. 63. a. l. 9. *probatam*, ib. l. 24. 25. *Bolſeco, Balduino, Serario, Surio*, p. 64. b. l. 46. *& qui*, p. 65. a. l. 34. d. *inquit*, p. 66. a. l. 8. *parebat*, p. 72. a. l. 25. *cætera*, p. 73. a. l. 38. *Lynceum*, ib. l. 47. *perfide*, p. 74. b. l. 7. *es*, p. 76. b. l. 33. *debuere carere*, ib. l. 35. *Leßii*, p. 77. a. l. 7. *exactis*, p. 83. a. l. 42. *Tetraſancta*, p. 88. b. l. 38. *ferre*, p. 97. a. l. 4. *erant*, ib. l. 16. *religiosè*, ib. l. 21. *idololatriæ accuſantur*, ib. b. l. 1. *qui alias*, p. 98. b. l. 27. *neminem*, ib. l. 37. *euangelici*, p. 101. b. l. 30. verba hæc *in bello Ieſuitico*, tranſpoſita in l. 35. hic lege, ib. l. 45. d. *&*, p. 102. b. l. 17. *converrere*, l. ſeq. *indiciis*, p. 103. a. l. 23. *contrectate*, *videte*, ib. l. 28. *hoc eſt*, p. 118. b. l. 35. *Romam*, p. 123. a. l. 21. *indices*, ib. l. 44. *mantiſſæ*, p. 128. b. l. 33. *Boderianum*, p. 131. a. l. 8. *utrimque*, ib. l. 30. *reſecant*, p. 132. a. l. 36. *indat*, p. 136. a. l. ult. *Et te*, &c. p. 137. a. l. antep. *& ſe*, p. 139. a. l. 15. & mox iterum *de Pana*, p. 143. b. l. 6. *mantiſſæ*, p. 144. a. l. 24. *caudatis*, p. 146. a. l. 30. *fuerint*, p. 147. a. l. 43. *poſtquam enim*, p. 154. b. l. 34. adde; *Conciliabulum Tridentinum ut cognovimus ex*, &c. p. 155. a. l. 33. *indictum*, p. 157. b. l. 9. *in olido*, p. 158. a. l. 34. *ineptire*, ib. b. l. 19. *Niſi*, p. 159. b. l. 12. *erronibus*, p. 161. a. l. 14. *erronibus*, p. 162. a. l. 34. *diſcinctos*, ib. b. l. 45. *Enthuſiaſmos nullos jactavit*, pag. 166. b. l. 31. *acciderunt*, p. 167. b. l. 8. *Iacobi*, p. 169. a. l. 4. *fugarint*, p. 180. a. l. 32. *cum illis* p. 182. b. l. 4. *habemus rationem*, p. 183. a. l. 22 *ex quo*, p. 193. b. l. 25. *à paucis*, p. 194. a. l. 44. *& adhoc*, p. 197. a. l. 5. *caudatorum*, ib. l. 40. *bubo*, ib. b. l. 8. *Gallice*, p. 199. b. l. 28. *excaudicandam*, p. 200. b. l. 14. *probaſti*, ib. l. 18. *loquacior*, p. 201. a. l. 34. *authoritati*, p. 203. a. l. 4. *Hier.* p. 204. a. l. 20. *noſtri*, ib. l. 32. d. *ut*, ib. b. l. 43. *quam*, p. 206. a. l. 7. d. *&* ib. b. l. 5. *& alios*, p. 210. a. l. 16. *& quantum.* ib. b. l. 17. *oppoſita*, p. 211. b. l. 5. *tollere*, p. 212. a. l. 25. *omnes*, p. 214. a. l. 38. *Vegam*, p. 228. a. l. 28. *ac hac*, p. 230. a. l. 15. d. *vera*, p. 233. b. l. 5. *inſcitiæ*, p. 241. b. l. 39. *inciderit*, p. 243. b. l. 3. pro *illos ipſos*, ib. l. 23. *judicat*, p. 250. b. l. 7. *ac*, p. 252. b. l. 37. *exemplis*, p. 257. b. l. 28 d. *&* p. 258. b. l. 11. *& per*, p. 265. b. l. 44. *& proinde*, p. 267. b. l. 25. *ei obſequi*, p. 269. a. l. 20. *eà deſtitutus*, ib. b. l. 2. *catum*, p. 273. l. 35. *ea*, p. 274. a. l. 45. d. *ut*, l. ſeq. l. *& in*, p. 276. b. l. 10. *invitis*, p. 278. a. l. 38. *fidelitatis.*

Erratum & ſæpiſſimè eſt in diſpunctionibus, literarum apicibus, aliiſque minutiis, quæ omnia non difficulter condonabit quiſquis humanitatem non exuit.

Lectori S.

NEſcio quo fato liber hic, quem Fromondi Criſi calenti etiamnum à prælo opponere meditabamur, præter ſpem & opinionem in occupatiſſima officina longiores quàm oportuit moras traxerit. Coram ſi chartas luſtrare licuiſſet, multa ex rerum poſtea geſtarum luce ad confundendam Cenſoris maledicentiam addi potuiſſent: quæ ſi quis hic omiſſa eſſe conqueratur, cogitet velim librorum eandem ſortem eſſe, quæ vectorum eſſe ſolet. Qui ſimul ac navim conſcende-

runt ventis, mari, & nautarum arbitrio volentes, nolentes obsequi coguntur. Vnum ex animo dolet, quòd præpropera mors purpuream animam antè è tenello Iansenii nostri corpusculo eduxerit, quàm solutionem Scepticarum suarum quæstionum legere, & perpendere potuerit. Vtinam Censor noster Lampadem hanc, cum baculo & mitra suscipiat! Ad me quantum, ex animo voveo, & precor. Neque enim oculi nobis dolent, si in haram cogantur impurissimæ idololatriæ patroni, modò obnuncianti stylo perennes ferias non indicant. Quicunque apud Hispanicum senatum aliquid posse consuevistis, rogo & obsecro vos, ut favorem vestrum D. Liberto concedere dignemini, ut post tot labores semel tandem ex laborioso Lovanio, in otiosas & delitiosas Iperas transeat. Credite mihi injurato, æquè hoc promeruit stulta ejus Crisis, ac garrula Iansenii Spongia. Nos si suffragii jus haberemus, primi pro eo calculum ferremus. Sed miseri ante sexagesimum annum deturbati sumus de ponte. Vos ergo, in gratiam lepidissimi capitis, exemplum facite, & usquedum alios deplumes graculos spectandos vobis exhibemus, valete.



CAPVT I.

Orthodoxi iterum purgantur ab hæresi Eunomij & Simonis. Docent expresse bona opera esse necessaria ad salutem, respectu non juris, sed actualis possessionis vitæ æternæ. Nec ad rem facit, quod negant bona opera esse meritoria. Papani ipsi fatentur meri Dei beneplaciti esse quod bona opera in nobis coronentur. In medio Papatu nota fuit nostra doctrina de Iustificatione & bonis operibus. Libertus manifestarius est Sycophanta. Doctrina nostra de perseverantia Sanctorum non est securitatis pulvinar. Nihil nobis cum Ioviniano.



Bjecerat nobis Criticus Simonis Magi & Eunomij hæresin, simplicibusque persuadere laborarat, inter illam & doctrinam nostram, consortium aliquod intercedere, quòd vulgo doceamus, bona opera nō esse necessaria fidelibus. Quamvis vero ego c. 38. *Desperatiss. caussæ*, diabolicam hanc calumniam ita paucis diluero, vocatis etiam ad partium nostrarum Patrocinium Bellarmino ac Toleto, ut non sit necessum, μάχλω ἵνα δύμεναι ἀνδρῶν; iterum tamen operam hanc debeo, quia necessitatem imponit noster Censor. Dicto loco negaveram quemquam de nostris unquam docuisse fidelibus necessaria non esse bona opera, verborumque compendio doctrinam nostram de bonorum operum necessitate eram complexus. Libertus quia refutare illa non potuit, sic tantum contra illa strepit. *Credo paucos esse, qui hodie palam ista audeant, ne cum Epicureis, à vulgo honestiore lapidentur. Sed non hoc jam quæritur: sed an Calvinus & vos passim discipulis vestris inculcetis, fidem solam, sine operibus bonis vere & coram Deo justificare, & ad vitam æternam sufficere. Annuis haud dubie.* Ubi frons? ubi pudor? An quicunque docent fidem solam, esse instrumentum illud, quo apprehenditur Christus, cum omnibus suis meritis, per

quem solum fidelibus est acquisitum jus vitæ æternæ simul etiam docent fidem hanc, quæ donatur solis electis à Spiritu Sancto, posse esse otiosam, & destitutam bonis operibus? Nequaquam vero; sed omnibus publicis privatisque scriptis suis docent eam efficacem esse debere per quævis bona opera, similemque bonæ arbori fructus bonos proferenti, nec posse cuiquam conferri vitæ æternæ possessionem, quod nempe ad actualem fruitionem, absque bonis operibus: scriptum est enim, *sine sanctitate nemo videbit Deum* Heb. 12. Si, tu fromonde, ullam Confessionem, Catechesin, aut Liturgiam orthodoxorum, aut locum quempiam ex nostris scriptoribus adducere possis, ubi contrarium docetur, & putidissima calumnia, aut aperte aut per legitimam consequentiam roboratur, oculatissimum aquilam, aut oculeum Argum te vocabo, qui ea videre potueris, quæ effugerunt oculos Bellarmini, Becani, Valentiæ, aliorumque Διαβολῆς principum. Nisi forte cum iis & Campiano, ea, quod à nostris *comparate & secundum quid* de bonis operibus & justitia habituali dicuntur, velis accipere & detorquere, quasi *simpliciter* & *absolute* dicta: aut quæ ab iis dicuntur de actu justificationis, confundere cum habitu justitiæ: aut denique miscere ea quæ dicuntur de bonis operibus consideratis in se, per se & absque Dei gratia, quo respectu nihil sunt, nec Deo placent, cum iis, quæ de illis traduntur ratione gratuitæ Dei dignationis; per accidens enim gratiæ Dei aliquid sunt. Conferatur 1 Cor. 3. v. 7. cum v. 5. 6. Adeste vero Papani, & an non *Sycophanta* sit Lovaniensis Magister, Confessionibus & Catechesibus nostris discite. Confessio Belgica Art. 24. sic loquitur: *Tantum abest ut fides hæc justificans homines à recta sanctaque vivendi ratione avocet, aut tepidiores efficiat, ut contra absque illa nemo unquam quicquam boni propter Deum (sed omnia vel propter seipsum, vel ob metum justæ condemnationis) agere atque operari possit. Fieri itaque non potest, ut hæc fides sancta in homine otiosa sit. Neque enim loquimur de fide vana atque mortua, sed de ea tantum, quæ in Scriptura dicitur per charitatem operari: quæque impellit hominem, ut in illis sese operibus exerceat, quæ Deus ipse in verbo suo præcepit.* Et Catechesi. qu. 64. *Fieri non potest, ut qui Christo per fidem insiti sunt, fructus*

gratitu-

gratitudinis non proferant. Confessio Gallica Art. 22. *Tantum abest, ut bene & sancte vivendi studium fides extinguat, ut etiam illud cieat & inflammet in nobis, unde bona opera necessario consequuntur*: Nec aliud docet Calvin. lib. 3. Instit. c. 3. *Sola fide, inquit, justificatur homo, neque tamen à gratuita justitiæ imputatione separatur realis sanctitas*. ibid cap. 19. *Tota Christianorum vita quædam pietatis meditatio esse debet, quoniam in sanctificationem vocati sunt*. Dein eodem libro cap. 16. Diabolicam hanc calumniam refutavit. Item Bucer. Colloq. Ratisbon. *Pleno ore prædicamus justitiam donari nobis, transfundique in nos à Christo Domino novo Adamo, & cælesti regeneratore, sicut noxa originalis in nos transfunditur ab Adamo vetere & terreno generatore*. Idem 16. *Quanquam vita æterna perpetuo bonorum operum studio nobis quærenda sit, tota tamen habetur fide, ab omnibus Euangelio Christi solide credentibus*. Petr. Martyr in 2. cap. Epist. ad Roman. *Sciendum est, fidem non posse esse vacuam bonis operibus. Idcirco qui extremâ horâ redeunt, si credant, absque bono opere non erunt*. Si doctrina hæc hæresin Simonis Magi & Eunomij sapit, αἱρετικώτατοι sunt antiqui patres. Irenæus lib. 5. *Homo per fidem insertus, & assumens Spiritum Dei, substantiam quidem carnis non amittit, qualitatem autem immutat, & aliud accipit vocabulum, significans illam, quod in melius est transmutationem: jam non caro & sanguis, sed homo spiritalis existens dicitur. Homo non assumens per fidem Spiritus insertionem, perseverat hoc esse, quod erat ante, Caro & sanguis regnum Dei non possidens. Aliud est afflatus vitæ, qui animalem efficit hominem: & aliud Spiritus vivificationis, qui & spiritualem efficit eum*. Ambros. in cap. 4. ad Hebr. *Opus est omni volenti cælum possidere, fidem operibus bonis ornare*. August. lib. 83. Quæst. quæst. 76. *Iustificatus per fidem non potest nisi juste deinceps operari, propter gratiam Dei, quæ in illo jam vacua esse non potest*. Id. Serm. 237. *Si justitia est opus Dei ut credimus, in Christum, impone huic operi nomen, fides vocatur, credere in Christum. Ex hac justus vivit. Difficile est ut male vivat, qui bene credit* Pie ut devote Bernardus, fuit enim in doctrina de Justificatione per omnia noster ac Orthodoxus, serm. 22. in Cant. *Iustitiæ tuæ tanta ubique fragrantia spargitur (ô Christe) ut non solum justus, sed etiam ipse dica-*

ris justitia, & justitia justificans, &c. Quamobrem quisquis pro peccatis compunctus esurit & sitit justitiam, credat in te qui justificas impium: & solam justificatus per fidem, pacem habebit ad Deum. Qui sunt justificati à peccatis, desiderant deliberantque sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Audiant te clamantem, sancti estote. Sed obgannit noster sic disputans: *Securitatem carnalem ex doctrinæ istius fonte emanare, quis non videt? Si enim sola fides justificat, & filios Dei adoptivos facit, nec opera bona hilum ad illustriorem gloriæ coronam in cœlis adjiciant, ut quid nos fatigare laboribus, attenuare jejuniis, fraudare bonis?* Sic videtur Libertinis & superstitiosis hypocritis; secus vero omnibus iis, qui norunt quid sit praxis pietatis. Non operibus bonis illi incumbunt, ut illustrior sit gloriæ corona, sciunt enim salutissimorum opera in Dei oculis impura esse, nedum ea quæ ab operario Magistro (ut spontaneæ afflictiones personata jejunia, & ultronea paupertas) hic enumerantur: eoque repudiatis operum sordibus, in solam Dei misericordiam in Christo patefactam, recumbunt, nullam eorum mercedem agnoscentes nisi spontaneam & gratuitam misericordis Dei remunerationem: sciunt quippe operum, exactissimorum etiam, nullum condignum esse meritum, nec in se considerata extra beneplacitum Divinæ voluntatis, Deum obstringere posse ad remunerandum, ac consequenter ne hilum quidem conferre aut ad acquirendam gloriæ coronam, aut ad illustriorem eam reddendam. Meri enim Dei beneplaciti est, quod propria sua opera præmiis hujus & futuræ vitæ in fidelibus gratuito coronat. Ut norat quoque Gerson, cum lib. 1. de Consolat. Theol. prosa 4. sic Deum alloqueretur: *Quamvis sis inobligabilis à creatura tua, quicquid agat pro te vel erga te, voluit tamen dignantissima condescensio tua commercium quoddam habere cum hominibus, ut bene te demereantur, si jussa tua compleverint, & in te speraverint, quì fidelis es seipsum negare non potes.* Doctrina hæc non est χθὲς καὶ πρώην nata, sed radiat in scriptis Apostolorum & Prophetarum, ut millies solidissime à nostris probatum est, item in scriptis antiquorum Patrum, nominatim Ignatii, Tertulliani, Lactantii, Cyrilli, Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, Basilii, Leonis Papæ, Gregorii Magni, Bernardi &c.

ut ſexcentis locis de genuinis eorum ſcriptis prolatis oſtendi poſſet, ſi liberet rem toties actam agere. Nec aliud docuerunt ſub medio Papatu, quicunque unquam conſcientiæ inſultus fuerunt experti. Albert. Magn. in lib. de ſolo Deo adorando: *Chriſtianus ſe totum intra ſe recipiat, nec aliud unquam objectum inibi mente attendat, quam ſolum Ieſum Chriſtum vulneratum.* Thomas Aquinas in cat. aur. ad cap. 8. Math. *Nihil in conſpectu Dei magnum vel admirabile, vel precioſum, tantum fides, hanc miratur honorificans, hanc acceptabilem ſibi æſtimat.* Anſelm. in 8. cap. ad Rom. *Si quis pateretur omnes pœnas, quæ in tempore præſentis vitæ ſufferri poſſunt, non eſſent omnes illæ paſſiones dignum meritum ad conſecutionem futuræ gloriæ.* Pariſienſ. tract. de Meritis; *Quo jure vel juſtitia ſperare habet aliquis ſanctorum ex meritis obſequiorum ſuorum retributionem felicitatis æternæ, ad quam nec comparationem habent in bonitate, vel valore, quantæcunque, excellentiæ merita?* Petr. de Alliaco in Meditat. ſuper Pſ. 30. *Væ væ, & iterum væ, Domine mihi, quia non in mea, ſed in juſtitia tua potes me liberare, qui meam non invenis niſi ſuperbam & falſam, & illi ſimilem, de qua dicitur, ignorantes Dei juſtitiam & ſuam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti. Si ergo attendis ad juſtitiam meam, damnas me, ideo in juſtitia mea non liberas me. Nam juſtitia hominis eſt, quod putat ſuis viribus ſe juſtificari, non credens gratis ſalvari. Abſit à me hæc juſtitia obſecro, heu verius injuſtitia ſæviſsima contra te ferent arma, ſi ſit in me potius humilis illa confeſſio, gratia Dei ſum, quod ſum. Quare gratia, quia gratis data, quæ gratis data, quia merita mea non proceſſerunt, ſed beneficia tua prævenerunt. Nec invenit in me gratia tua merita beatorum quæ coronet, ſed demerita malorum quæ damnet. In hac ergo juſtitia tua, in hac gratia mihi gratis data, libera me, quia hæc ſola liberat, dum juſtificat impium à ſua impietate, & injuſtum à ſua iniquitate convertit.* Gerſ. in Meditat. ſuper 7. Pſ. Pœnitent. *O me beatum, ſi à te mihi remiſſæ ſunt iniquitates meæ, ita ut mihi dones indulgentiam ex gratia tua, cui debes vindictam ex culpa mea, ut mihi dones indebitam gratiam, apud Deum miſericordia, ſed maxima. De me meaque propria virtute diffidens, & de te, tuaque gratia & pietate ſperando confidam, & ad tuam clementiſsimam propitiationem confugiam.* Id

part. 4. Tract. de signis bonis & malis: *signum malum est offerre Deo opera sua vel gratias, quasi dignum aliquid habeant ex persona operantis; & non potius sint fœditates, quasi pannus menstruatæ, aut sicut panniculi leprosorum, qui per continuam saniem defluentem sordidantur* Devotissimi inter Papanos volutare solent aureum libellum Thomæ de Kempis, qui inscribitur de Imitatione Christi; perquam familiaris ille fuit Ignatio Lojolæ, magnoque Bellarmino ab ipsa adolescentia, ego quoque à multis annis eum in delitiis habui post Biblia, Augustini, Chrysostomi & Bernardi scripta assiduo volutare institui; quotiescunque vero lego, mecum disputo qua devotione & attentione pontificius quis purus eum legere possit; paucula enim si excipias, quæ papismum olent, omnia cum ὀρθοδοξίας amussi conveniunt. Totus vero noster est in doctrina de justificatione, infestissimusque operariis mercenariis, à sola enim Dei gratia & misericordia dependet, cui proprie quoque primas, secundas, tertias, & omnia defert. Quod ut credatis quicunque authorem, quem non intelligitis, amatis, en paucula ex eo speciminis loco. lib. 2. cap. 9. §. 6. *Super quid sperare possum, aut in quo confidere debeo, nisi in sola magna misericordia Dei, & in sola spe gratiæ cœlestis?* lib. 3. cap. 40. §. 5. *Est autem vera gloria & exultatio sancta, gloriari in te, & non in se: gaudere in nomine tuo, non in propria virtute, nec in aliqua creatura delectari, nisi propter te. Laudetur nomen tuum, non meum: magnificetur opus tuum non meum: benedicatur nomen sanctum tuum, nihil mihi autem attribuatur de laudibus hominum. Tu gloria mea, tu exultatio cordis mei: In te gloriabor & exultabo tota die, pro me autem nihil, nisi in infirmitatibus meis.* Eod. lib. cap. 55. §. 4. *O quam maxime est mihi necessaria, Domine, tua gratia, ad inchoandum bonum, ad proficiendum, & ad perficiendum. Nam sine ea nihil possum facere: omnia autem possum in te, confortante me gratia, sine qua nulla sunt propria merita, nulla quoque dona naturæ ponderanda!* Ibid. §. 6. *Quid sum sine gratia, nisi aridum lignum, & stirps inutilis ad ejiciendum? Tua ergo me, Domine, gratia semper præveniat, & sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentum, per Iesum Christum Filium tuum, Amen.*

Amen. lib. 4. cap. 1. §. 11. *Dolendum tamen valde & miseran-*
dum super tepiditate & negligentia nostra, quod non majori affectio-
ne trahimur ad Christum sumendum: in quo tota spes salvandorum
consistit & meritum. Ipse enim est sanctificatio nostra, & redemptio:
ipse consolatio viatorum, & sanctorum æterna fruitio. Eod. lib. cap.
16. §. 2. *Ecce, sto ante te pauper & nudus, gratiam postulans & mise-*
ricordiam implorans. Refice esurientem mendicum tuum, accende fri-
giditatem meam igne amoris tui, illumina cæcitatem meam claritate
præsentiæ tuæ, &c. Tu solus mihi ex hoc jam dulcescas usque in secu-
lum; quia tu solus cibus & potus meus, amor meus & gaudium meum,
dulcedo mea & totum bonum meum. An qui talibus meditationibus
indulsit, agnovit meritum condigni quod à Vasque in 1. 2. disp.
213. cap. 5. sic definitur: *Meritum condigni illud est, quod sua natu-*
ra exigit præmium, tanquam æqualem remunerationem, & legitimam
compensationem, secundum rectam obsequii & mercedis æstimationem
aut laboribus, jejuniis, & spontanea pauperie laboravit illustrio-
rem gloriæ coronam, in cœlis reddere? Animadvertite vos
Papani, Deumque rogate ut dum legitis Thomam à Kempis,
oculos mentis vobis aperiat, quo cognoscere possitis quam
periculosa sit doctrina de Bonorum operum meritis. Nec
hæc tantum asceticorum quorundam fuit opinio ante Lutheri
tempora: sed & multi sic docuerunt post eum, agitata jam con-
troversia de Justificatione fidei. Quos antequam in theatrum
hoc produco, non possum quin ad partes ante vocem Adrianum
VI. popularem meum, ac quondam Professorem Lovanien-
sem, in ita de Ench. fol. mihi 20. *Sunt merita nostra & præpa-*
ratio velut baculus arundineus, cui dum quis innixus fuerit, con-
stringitur, & perforat manum innitentis. Et velut pannus men-
struatæ sunt omnes justitiæ nostræ, ut habetur Esaiæ 64.
Jugiter enim super pannum bonæ vitæ, quem justitiæ operibus
teximus, stillamus saniem diversorum criminum. Canonici Co-
lonienses in Enchiridio, quod addiderunt Concilio Co-
loniensi celebrato Anno 1556. titulo de Justificatione sic
scribunt, citante ipso Vasque 1. 2. 4. 114. art. 3. Disp.
214.

214. c. 1. *Non veretur Scriptura vitam æternam bonorum operum mercedem appellare, non ut putemus benefacta nostra digna esse vita æterna, seu deberi illis vitam æternā propter operum ipsorū dignitatem; quis enim tam stupidus est, qui sic sentiat? sed magis quod Deus fidei nostræ, quam per ejusmodi opera nobis exercet, vitam æternam gratuitò sit pollicitus.* Quid magis de mente Orthodoxorum dici posset? Stupidi sunt illi pseudo-Catholici qui audent defendere operum condignitatem. Clingius loc. Comm. lib. 1. cap. 14. *Quia finito ad infinitum nulla proportio est, sed omnia opera nostra sunt finita, gratia autem & justificatio ac vita æterna quid infinitum; ergo nihil debet Deus operibus nostris, sed semper gratis dat.* Hosius in Confess. cap. 73. Probat hæc Stephani Bruliferi verba; *Nullus actus elicitus ex charitate, & secundum inclinationem charitatis, quantumcunque bonus sit, est dignus vita æterna ex natura rei: sed est dignus vita æterna solūmodo propter passivam acceptationem Dei.* Lanspergius in Pharetra divini amoris introducit animam fidelem pro bona morte quotidie sic orantem: *Non sinas animam meam de corpore egredi nisi per misericordiam tuam tibi sit reconciliata, per gratiam tuam adoptata, tuis meritis atque virtutibus ornata &c. da mihi in hac vita à peccatis meis omnibus &c. per tuæ passionis merita purgari, ut moriens ex vehementi & vera contritione compunctus, & ardentissima caritate tibi unitus, emigrem ad te dulcissimum redemptorem meum, ab omni damnatione ac purgatione alia immediate liber atque securus* Ludovic. Bloys. in Consolat. pusillanimium p. 55. & 56. hanc consolationem inter alias suggerit: *Christus nobis imperfectis &c. datus & factus est, quidquid saluti nostræ necessarium. In illo habemus omnia bona, virtutes omnes, omnem sanctitatem & perfectionem, seu quæcunque Deus à nobis exigit, & quidquid nos ei præstare æquum est, &c.* & post: *Itaque si homo & bonæ voluntatis, hoc est, si juxta Dei voluntatem, &c. in omni sanctitate & perfectione eidem Domino Deo tuo libenter placere velles: potes implere & perficere in Christo & per Christum, omnem justitiam, perfectionem atque sanctitatem: nec de hac re ullum apud te dubium hærere debet. Offer igitur devota mente Deo* (ubi hic merita!) *Patri dilectissimum filium ipsius Iesum Christum, &c. pro cunctis negligentiis & imperfectionibus tuis offer illius vitam perfe-*

perfectissimam & passionem salutarem. Nec ita tantum gregales docuerunt, aut ascetici: sed Iesuitarum doctissimi. Cottonus Institut. p.904. *Cum Calvinus scribit omnia opera nostra quantumvis bona, peccata esse coram Deo, dicere noluit, id quod à Deo in nobis est, bonum non esse: sed voluit aut debuit docere, id quod in nobis vel actionibus nostris à nobis est, & non à Deo, nihil esse præter sordes. Quoniam autem ordinario aliquid nostri semper admixtum est operi Dei, quemadmodum videmus scoriam metallo admixtam, propterea justitias nostras comparari panno maculato. Et dici potest, quod si considerentur separatim à meritis filii, vel sine misericordia examinentur, vindictam potius peterent quam remunerationem.* Multosque sic docere ingenue fatetur Vasquez in 1. 2. tom. 2. disp. 104. cap. 2. testatur enim: *Recentiores Theologos post præclaram Concilii Tridentini definitionem, tam exilem justitiam inhærentem justis concedere, ut ex se non habent virtutem tergendi maculas peccatorum, nec eas purgare valeat, nisi favore & condonatione Dei relaxentur.* Principibus his Achivorum accensendus ipse Cardinalis Bellarminus, post difficilem enim de Iustificatione disputationem, sanguineamque conscientiæ luctam, vincitur tandem compelliturque gloriam veritati concedere, & Callicratidis instar, quod antea videbatur probasse, iterum negare. Sic enim lib. 5. De Iustific. cap. 7. (aures omnes Papani arrigite) pronunciat: *Propter incertitudinem propriæ justitiæ, & periculum inanis gloriæ tutissimum est fiduciam totam in sola Dei misericordia & benignitate reponere.* Item Rada Episcopus Pactensis part. 3. controv. inter Thomistas & Scotistas contr. 12. art. 1. *Quamvis autem aliqui,* inquit, *Doctores existiment opera nostra seclusa acceptilatione, lege, & promissione divina esse beatitudine condigna, quatenus fiunt propter Deum ex caritate, & à gratia Spiritus sancti proficiscuntur: tamen mature omnibus hinc inde pensatis, adhuc crediderim non esse condigna beatitudine ulla opera nostra.* Animadvertite mercenarii Lovanienses. Cur vero doctiores quique aliter statuerent: Legunt quotidie in Canone Missæ: *Intra quorum* (sanctorum) *nos concivium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus largitor admittere.* Ad quæ Biel lect. 59. *Omnes institiæ nostræ sunt sicut pannus menstruatæ, est. Si enim tu pater iniquitates nostras observaveris, quis sustinebit? Non*

ergo intuitu noſtrorum meritorum, nec in juſtificationibus noſtris ad beatorum conſortium petimus admitti, &c. & poſt: *Conſiderando dignitatem operis meritorii ex gratia coëfficiente cum libero arbitrio, & ex Spiritu ſancto movente, atque ex divina ordinatione & promiſsione ejus ad præmium beatificum, opera noſtra ex gratia elicita ſunt meritoria præmii beatifici de condigno.* Tantopere autem placuerunt Miſſalis canonis verba Bellarmino decumbenti, ut teſte Ieſuita Sylveſtro à Petra Sancta teſtamento ſuo ea inſeri voluerit. Dominus Criticus in lepida Criſi anilem fabellam de neſcio quo tenebrione refert Gueſiorum in modum vivente, & ex catholicorum præſcripto moriente: ſed ſi peregrinus non fuiſſet in domeſticis breviariis & conſolandi formulis, contrarium ſcripſiſſet. In medio Papatu in uſu fuerunt libelli, in quibus ægri docentur verè catholice & orthodoxe, hoc eſt, ex noſtræ doctrinæ præſcripto ad mortem ſe componere. In iis enim occurrunt Anſelmi Interrogationes, de quibus ſic Hoſius in Confeſſ. Petricovienſi cap. 73. *Sed & Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis interrogationes quaſdam præſcripſiſſe dicitur infirmis in*
,, *extremis conſtitutis inter quas extrema eſt:* Credis te nō poſſe niſi per
,, mortem Chriſti ſalvari? *Reſpondet infirmus*: Etiam. *Tum illi dicitur:*
,, *A*ge ergo dum ſupereſt in te anima, in hac ſola morte fiduciam
,, tuam conſtitue: in nulla alia re fiduciam habe: huic morti te totū
,, committe, hac ſolâ te totū contege, totum te immiſce in hac
,, morte, totum confige; in hac morte te totum involve. Et ſi Domi-
,, nus Deus voluerit te judicare, dic, Domine, mortem Domini
,, noſtri Ieſu Chriſti objicio inter te & inter me, & tuum judicium:
,, aliter tecum nō contendo. Et ſi dixerit, quia peccator es, dic: Do-
,, mine mortem Domini Jeſu Chriſti pono inter te & peccata mea.
,, Si dixerit tibi, quod meruiſti damnationem, dic: Domine: mor-
,, tem Domini noſtri Jeſu Chriſti obtendo inter me & mala merita
,, mea: ipſiuſque meritum offero pro merito, quod ego debuiſ-
,, ſem habere, nec habeo. Si dixerit, quod tibi iratus eſt, dic: Do-
,, mine mortem Domini noſtri Ieſu Chriſti oppono inter me & iram tuam. Hæc formula occurrit quoque in libro de Arte moriendi excuſo Anno 1488. & 1504. Item apud Caſſand. in Append. ad Opuſcula Joh. Roffenſis de Fiducia & miſericordia Dei,

apud

apud Ulenbergium in Motivis causs. 14. p.462. edit. Coloniensis anni 1589. In sacerdotali Romano part 1. tract. 5. cap. 14. Edit. Venetæ anno 1585. In sacra Institutione Baptizandi, Parisys 1572. In Ordine Baptizandi cum modo visitandi, Venetiis 1575. Conferte quæso, quicunque Papani audire vultis, laudatos tractatus, & agnoscite efficaciam verissimæ doctrinæ nostræ; simulque detestamini flagitium Cardinalis Sandoval, qui quædam ex dicta formula in Ordine Baptizandi Venetiis excusa anno 1575. ut minus paptistica vult deleri in Indice suo expurgatorio Anni 1612. Eadem doctrina occurrit in *Præceptorio Nicolai de Lyra* excuso Coloniæ anno 1499. apud Hermannum Bungart. Si enim ibi legitur: *Interrogationes faciendæ infirmo morienti. Primo*, interrogari debet, si credit omnia quæ sunt fidei Christianæ? Et respondeat; Credo. *Secundo*, si gaudet se mori in fide Christiana? respondeat; Recognosco. *Quarto*: si dolet, de omni offensa? respondeat; doleo. *Quinto*, si proponit de cætero ab omni offensa peccati mortalis abstinere? & respondeat, divino auxilio mediante propono. *Sexto*, si credit si meritis passionis Christi, & non propriis ad gloriam pervenire? Et respondeat tunc; credo. *Ultimo*, debet sibi dici; si occurrerit tibi inimicus Diabolus, semper ei opponas merita passionis Christi, Amen. Similiter in *Hortulo Animæ* edit. Plantin. Anno 1559. fol. 210. occurrit Anselmi formula, paucis tantummodo mutatis. *Interr.* Tu credis & recognoscis Jesum Christum Filium Dei pro te mortuum esse, & aliter te non posse salvari, nisi per meritum passionis ejus. *Resp.* Credo. *Interr.* Agis ei de hoc ex toto corde gratias, in quantum vales? *Resp.* Ago. *Si bono corde responderit ad prædicta, signum est quod sit de numero salvandorum.* Age ergo dum in te est anima tua ei semper gratias; & in hac sola ejus morte totam fiduciam tuam constitue: huic morti te totum committe; hac morte te totum contege, eique te totum involve. *Et si Dominus voluerit te judicare, dicas*: Domine mortem Domini nostri Jesu Christi objicio inter me & te, & judicium tuum: aliter tecum non contendo. *Si dixerit quod meruerus damnationem, dic*: Mortem Domini nostri Jesu Christi objicio

„ inter te & mala merita mea: ipsiusque dignissimæ passionis me-
„ ritum offero promerito, quod ego habere debuissem, & heu
„ non habeo. *Dicat tertio:* Mortem Domini nostri Jesu Christi
„ pono inter me & iram tuam. *Deinde dicat infirmus;* In manus
„ tuas commendo spiritum meum. Et securus morietur: nec vi-
„ debit mortem in æternum. Dicite quæso, Papani, an qui ita moriuntur, ex formula Jesuiticæ doctrinæ ad decretoriam horam & judicium se accingant? Gloriam ergo veritati date, & doctrinæ orthodoxæ admirandam efficaciam non è libris Doctorum nostrorum probate, sed æstuanti fluctuantique conscientiæ vestræ applicate, conferentes eam cum desperatissima doctrina de merito condigni. Libuit hæc paulo fusius tractare, ut constaret, omnes Papanos, qui unquam conscientiæ stimulis fuerunt compuncti, volentes nolentes fateri debere, bona opera in se considerata extra Dei dignationem gratuitam, *nihilum quidem ad illustriorem gloriæ coronam in cœlis adjicere*: contra quam existimat Doctor Libertus. Sed quæret iterum forte. Si bona opera in se considerata nihil merentur, utquid ea facimus? Discat ergo ex elementis Catecheticis per Spiritum sanctum fideles renovari ad Dei imaginem: I. ut ei per bonorum operum studium semper gratias agant pro redemptione in Christo præstita. 1. Cor. 6. v. 20. 2. Cor. 5. v. 15. 1. Petr. 2. v. 5. & seqq. II. ut Deus per eos celebretur. Matth. 5. v. 16. 1. Petr. 2. v. 12. III. ut ipsi ex fructibus certi fiant de fide sua. Gal. 5. v. 6. 2. Pet. 1. v. 5. & seqq. IV. ut sic alios quoque Christo lucrifaciant. 1. Petr. 3. v. 1. 2. Tit. 3. v. 7. 8. si nolit hæc è scriptura discere, discat è Patribus. Hieron ad Gal. lib. 1. cap. 3. *Non ex fide Christi licentia nascitur delinquendi, sed ex dilectione fidei, voluntas boni operis augetur: dum bona ideo facimus, non quia judicem formidamus, sed quia scimus ea ei placere in quem credimus.* Origen. hom. 16. in 24. cap. Numer. *Ego tamen puto, quod non ille solum maledicit Christo, qui sermonem adversus eum maledicum profert. Sed & ille, qui sub nomine Christiano male agit & turpiter conversatur, & inhonestis verbis vel actibus suis facit nomen ejus blasphemari inter gentes.* Leo I. Episc. Rom serm. 8. in Epiphan. *Qui experiri cepit, an in ipso* DEUS *habitet, de quo dicitur: Mirabilis* DEUS *in Sanctis suis: humili examine*

cordis

cordis sui interiora discutiat & sagaciter quærat qua humilitate resistat superbiæ, quâ benevolentiâ obluctetur invidiæ, quam non capiatur adulantium linguis, quamque bonis delectetur alienis, an pro malo non cupiat malum reddere malitque inultus oblivisci injurias, quam imaginem & similitudinem sui creatoris amittere, qui omnes ad cognitionem sui generalibus incitans donis, pluit super justos & injustos, & solem suum oriri facit super bonos & malos. &c. Chrysost. in Genes. cap. 2. hom. 13. *Multo fidelior & certior doctrina operum quam sermonum. Nam qui talis est, etiam silens, & cum non videtur docere potest, & alios quidem, qui illum vident, alios vero qui de illo audiunt. Et multa fruetur Dei gratia, non solum propter se, sed & propter alios, qui illum vident, & incitantur ut glorificent Dominũ suum.* Et sic iterum contudimus hydram hanc calumniatoriam? credo vero oculatos inter Papanos omnes videre tantum abesse ut ex saluberrima nostra doctrina de Iustificatione per solam fidem Epicureismus ac Libertinismus promanare possint, ut potius jugis fons omnis pietatis, justitiæ, pietatis, ac charitatis habendus sit: nosque summo jure, fatente ipso Bellarmino lib. 5. de Iustif. cap. 1. conqueri posse de injuria, qua à diaboli clientibus auctoratis ad mentiendum & calumniandum, sine missione afficiuntur. Acquiescent proinde quicunque inter homines censeri merentur: solus Doctor Lovaniensis sic forte cornicari perget: *Dic nobis clare & aperte: An pertinacissimus verbi apud vos minister, qui homicida, incestuosus, aut adulter moritur, possessionem vitæ æternæ ineat, an non? Sine dubio inibit.* At quis mi homo, è nostris talem, nunquam in vita conversum & ante excessum nulla resipiscentiæ signa edentem inter cæli municipes recensuit? Vnum si laudare possis, indignum te calumniatoria dictatura pronunciabo. Tantum vero abest ut hoc doceamus, à synaxi etiam nostra solemni formula arcemus quoties ea instituitur *omnes idololatras, omnes qui angelos demortuos, sanctos, aut alias creaturas adorant omnes qui cultum aliquem deferunt brutis imaginibus, omnes incantatores ac ariolos, omnes qui pecoribus aut hominibus aut aliis etiam rebus benedicunt, item eos eos qui talibus benedictionibus fidem habent, omnes Dei verbi & ejus sacramentorum contemtores, omnes qui Deo maledicunt, omnes qui seditiones in Ecclesia aut rebubl. excitare volunt, omnes peri-*

mos, parentibus suis & Magistratibus immorigeros, omnes homicidas litigantes, & quotquot odio aut invidia proximos suos prosequuntur, omnes adulteros, scortatores, ebriosos, fures, fœneratores, raptores, lusores, avaros, & quotquot cum scandalo vivunt, & quidem propterea ut verba formulæ sonant, quia *nullam portionem habent in regno cœlorum*. Non favet quoque ἀθεότητι, aut impuro Epicurismo, saluberrima & plenissima consolationis doctrina de fidelium perseverantia: nec ad rem facit, quod ad parteis suas Adversarius Danielem Tilenum ὀρθοδοξίας desertorem & proditorem advocet: eadem opera Iacobum Batelier, & Apologistás Remonstrantes in aciem producere, innoxiasque chartas impurissimarum blasphemiarum plumis, instar Æsopicæ corniculæ ornare potuisset. Disce depontane senex ex ludimagistro; quando ex verbo Dei orthodoxi docent electos gratia, quam semel acceperunt, excidere non posse, non hoc velle, quasi gratia secundum aliquot gradus, & ex parte amitti non possit, sed hoc tantum, quod non possit totaliter & finaliter amitti: eoque non tantum fatentur, sed & docent, imo serio deplorant, quod sanctissimi quique quotidie in gravissima peccata prolabantur, quamvis interim sic peccare non possint, ut inde pereant, à Deo enim, cujus dona ἀμεταμέλητα sunt, sustentantur. Hinc Ioannes dicit 1. ep. 3. v. 9. *Quisquis natus est ex Deo, non peccat, quoniam semen Dei in eo manet, nec potest peccare, eo quod ex Deo natus est.* Quæ verba ex pendens Bernardus pie Serm. 23. in Cant. inquit: *Intellexi illius sententiæ veritatem, Omnis qui natus est ex Deo non peccat. Hos adverti quasi nunquam peccasse, quoniam etsi quâ deliquisse videntur in tempore, non apparent in æternitate; quia charitas patris cooperit multitudinem peccatorum. Omne vero quod mihi imputare non decreverit, sic est, quasi non fuerit.* Et hæc est verissima illa ac consolationis plenissima doctrina de Perseverantia Sanctorum, quam toties inculcat Augustinus: nominatim lib. de Corrept. & Grat. cap. 12. ubi ita: *Primo homini datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur; sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur: non solum ut sine isto dono perseverantes esse non pos-*

sint verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. Hæc si perpendisses, diabolo linguam & stylum calumniatorium non elocasses, nec cum tui commatis homine (cæterum centuplo doctiore) Tileno, doctrinæ orthodoxorum insultasses, multo minus eos cum hæreticis comparasses: omnes enim Iovinianum pro hæretico habemus, si modo docuit, (ut vult August. hæres. 82.) *non posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto.* Quamvis non velimus eum rejicere, si tantum docuerit, eos *qui plena fide in baptismate renati essent, à diabolo subverti non posse.* Modo intelligatur totalis subversio, ea enim non excludit partialem, unde & nos omnes, imo sanctissimos, docemus quotidie in multis lâbi, & libenter usurpamus Hieronimi verba lib. 2. contra Iovinian. *Iohannes & baptizatus ipse erat & justus, & ad baptisatos ac justos scribit, Filioli, hæc scribo vobis, ut non peccetis: quod si quis peccarit, Advocatum apud Patrem habemus Iesum Christum & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Item illa August. l. 6. 3. contra duas Epist. Pelagii c. 7. *Ad virtutis in homine justo perfectionem pertinet, ipsius imperfectionis & in veritate cognitio & in humilitate confessio.* Et iterum ex illo lib. 9. Conf. cap. 13. gementes exclamamus: *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam.* Iterum decipitur doctor noster à Tileno, existimans ex doctrina Synodi Dordracenæ de certitudine salutis, securitatem carnalem promanare. Neq; enim veneranda Synodus, ut calumniatur Tilenus, statuit quibuscunque sceleribus coopertos credere debere se esse electos ad vitam æternam: sed contrarium, ut liquet ex Synodi actis art. 1. Sic enim ibi ex verbo Dei decernunt. 1. Quemvis fidelium persuasum habere quod per misericordiam Dei patris sui sit in vera fide conservandus, & ad æternam salutem perducendus. 2. Extra studium pietatis & usum mediorum, non posse in actum exire talem fidei persuasionem. Quid clarius dici posset ad confundendum diabolum, ejusque satellites? nec alia unquam Doctorum nostrorum sententia fuit, quæ placuit quoque doctissimis multis in papatu: nominatim Catharino, Cajetano, Cassalio, Canisio, Roffensi, Torrensi, plurimisque aliis, ut sæpius à nostris probatum est.

CAPUT

CAPVT II.

Orthodoxi non eripiunt homini liberum arbitrium naturale. Declaratur eorum sententia. Bellarminus in illorum castra victus à veritate transire cogitur. Magister ignorat, quid sit liberum arbitrium. Non pugnat cum liberi arbitrii natura necessitari à Deo. Ex Orthodoxorum sententia non sequitur fatum Stoicum. Quomodo Adamus dicatur lapsus esse necessario. Sententiæ Orthodoxorum ipsi papani Doctores, & inter eos etiam Iesuitæ accedunt. Hieronymus non obest illis, ut persuasum vellet doctor. Orthodoxi remotissimi sunt à deliriis Manichæorum. Bellarminus cum Manichæis statuit Deum malum in homine creasse.

SUccedit secunda calumnia, ab omnibus diaboli clientibus sine missione orthodoxis objici solita, de libertate voluntatis; quasi hi universim eam negent, doceantque in homine nullum liberum arbitrium, ne quidem naturale esse. Cum toties professi sint se liberum arbitrium agnoscere in Deo, in bonis angelis, hominibus, & diabolis: & quidem libertatem arbitrii à coactione in omnibus in quibus voluntas: nulla quia voluntas potest cogi, si enim cogeretur non voluntas, sed noluntas esset. Adhoc in omnibus illis agnoscunt libertatem contradictionis, ut hoc velle possint, aut non velle; etsi libertas contrarietatis ut libere velint vel bonum, vel malum, nequaquam iis conveniat. Deus enim, angeli in gratia confirmati, & animæ beatæ ita volunt bonum, ut non possint velle malum. Dæmones & non renati, quamdiu non renati, malum tantum volunt. Libertatem vero contrarietatis & contradictionis attribuunt angelis omnibus ante eorum lapsum, primis parentibus ante lapsum, & omnibus hominibus renatis. illi enim per naturæ vires cum concursu generalis auxilii, ita volebant bonum, ut possent & malum velle; hi verò per specialem gratiam libere bonum volunt, per naturæ autem corruptionem, quæ in iis remanet, libere item malum volunt. Si di-

stin-

stinctiones has calumniatorum primipili notarent, patri suo diabolo delitias nequaquam præberent. Neque enim *primo* homini liberum arbitrium naturale eripitur, si liberum arbitrium ad bonum ei denegetur. Præclare & ad mentem nostram August. de Grat.& lib. arbitr. cap.16. Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, præparatur voluntas à Domino. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, de quo dictum est, faciam ut in justificationibus meis ambuletis. Nec ad rem facit quod voluntas per peccatum non sit libera ad bonum, sufficit eum libere velle malum. August. contra 2. epist. Pelag. l.1.c.2. Hæc voluntas quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est: nec potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo, qui malum non potest velle. Mirum vero doctrinæ huic patrocinari ipsum Bellarminum. lib. 6. enim de lib. arb. cap. 15. postquam sex libris pro Papano libero arbitrio pugnasset, ad extremum omnia evertit, & sequentibus verbis causæ nostræ patrocinatur: *Conversio hominis ad Deum ut & quodlibet aliud opus pium: quatenus opus (nempe humanum) à libero arbitrio est, tantum: quatenus pium, à sola gratia est; quatenus opus pium, à libero arbitrio & gratia.* Quid clarius ad mentem nostram dici potuisset? Non spoliant secundo libertate sua voluntatem hominis Orthodoxi, cum docent eam per Dei efficacem gratiam sic flecti, inclinari & determinari, ut suasiones illius posita hac gratiæ efficacia, nulla ratione aut rejicere aut respuere possit. Ut enim idem August. lib. de Corrept. & Grat. cap. 14. Non est dubitandum Dei voluntati humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse, quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit. Quicunque vero illo to ore doctrinam hanc traducere amant, expostulent cum ipsa Christi sponsa quæ Cant. 1.4. exclamant; *Trahe me*: item cum Christo ipso qui ita pronunciat Joh. 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi pater traxerit illum.* Quæ considerans Hieron. lib. 3. adv. Pelagian. pie dicit: Nemo potest venire: frangit superbientem arbitrii libertatem, simul & hoc animadvertendum, quod qui trahitur, non

ſponte currit, ſed aut rejectans & tardus, aut invitus adducitur. *Tertiò* fruſtra eſt Doctor Lovanienſis quod exiſtimet naturale liberum arbitrium homini à Doctoribus noſtris, nominatim Calvino & Luthero negari, quando docent voluntatem divinam eſſe primam cauſſam omnium eorum quæ fiunt, addunt enim (quod diſſimulat) cooperationem divinam ita concurrere cum cauſſis ſecundis liberis, ut illis non tantum conſervet virtutes ſuas operatrices, verum etiam moveat, atque ad opus applicet. Sic V. G. Deus determinaverat Ieſum prodendum à Juda, crucifigendum à Pilato & Judæis, ita tamen ut effectus ratione cauſſarum ſecundarum eſſet voluntarius & conſequenter liber. Ita Roboam non potuit auſcultare populo quod cauſſa à Iehova eſſet, & tamen hoc libere fecit, & ut ſcriptura loquitur 1. Reg. 12. v. 14. *ex conſilio puerorum ſuorum.* At dicit noſter Doctor: *Quid juvat voluntatem naturaliter liberam habere, ſi in omnibus univerſim actibus, bonis, malis, indifferentibus, abeſt uſus libertatis?* Scilicet ſcis quid ſit liberum arbitrium? ſi valebit tua ratiocinatio, Deus non habebit liberum arbitrium; neque enim poteſt velle malum culpæ, ut vult perpetuo bonum, neque ejus voluntas liberrima indifferens eſt ad actus bonos & malos. Item diabolus calumniatorum anteceſſor & Doctor, libero arbitrio erit deſtitutus, neque enim poteſt velle bonum, ut poteſt perpetuo velle malum. Diſce bone vir ex Magiſtro ſententiarum (ne alios infinitos Scholaſticos tibi laudem) quid ſit liberum arbitrium, ne in poſterum ut cæcus colores inſecteris, quos nunquam vidiſti. Ita vero communis veſter Magiſter lib. 2. ſentent. diſt. 25. *Liberum arbitrium dicitur quia ſine coactione & neceſſitate.* Coactionis ſcilicet. & dein docet; Deum Angeloſque electos vere præditos eſſe libero arbitrio, quamvis non habeant voluntatem liberam in omnibus univerſim actibus, bonis malis, & indifferentibus. Ut enim recte ibid. idem Lombardus, *Multo liberius arbitrium eſt, quod non poteſt peccare.* Diſce amplius ex Doctoribus domeſticis, nō pugnare cum liberi arbitrii natura neceſſitari à Deo. Delphinus de Libero Arbitrio, capite, Quarum rerum ſit liberum arbitrium; Haud enim liberum arbitrium eo dicitur, quia ſic iſtud non velit, aut nolit, ut oppoſitum

queat

queat velle: Sed quoniam ad imperium ſui, quod expetit, illud etiam vult ac proſequitur, quandoquidem ſic vult aliquid, ut id velit ſe velle: aut quoniam pro libitu ſuo id expetit: pro indeque in actu volendi ſe ipſum movet, ſibique ipſum dominatur: atque id circo liberum dicitur quamvis etiam ad illud ordinetur immutabiliter. Franc. Cumel Diſputat. de voluntate hominis. Adde non eſſe de ratione liberi arbitrii, poſſe velle bonum & malum: aut poſſe nunc velle unum, & poſtea mutare illud & nolle: & ſatis eſſe, ſi habeat optionem diverſarum rerum, quod electio ſit cum pleno atque perfecto judicio rationis inter eas. Salmero tract. 56. tomi IX. Stat etiam liberum arbitrium cum lege vetante, & præcipiente: quia adhuc homo libertate non deſtituitur. Imo quod majus eſt, cum neceſſitate bene operandi, vel malè faciendi: &, ut ſic dicam cum impoſſibilitate. Nam in Angelis & beatis tanta dignitas liberi arbitrii non abeſt: ſed cum neceſſitate bene operandi: & cum impoſſibilitate male faciendi conjuncta. Cacodæmones, damnatique omnes, liberum arbitrium, quod naturale eſt, ac proinde amitti nequit habent. Sed cum impoſſibilitate benefaciendi, & cum neceſſitate male operandi annexum. At ignoti forte hi majorum gentium Doctores tibi erunt: adi ergo domeſticum teſtem Ruardum Tapperum, cujus *incomparabilem eruditionem* (eam crepat Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica) tua loquentia proſtituit. Is ita in initio artic. VII. Neceſſitari voluntatem à Deo, qui auctor naturæ, quamvis cogi ab eo non poſſiit, nihil vetat: nam tunc auferret illi libertatem in tali actione, movendo eam ceu brutam pecudem, quod nunquam facit lege communi. Nec *quarto* ex hac doctrina, ut calumniatur noſter ſequitur; homines agi extrinſecus fatali quodam neceſſitatis impulſu, cui nequeant reſiſtere. Neque enim aliam neceſſitatem quam ex hypotheſi divinæ voluntatis ſtatuimus, quæ dependet à Deo, cum Stoici fati ſui neceſſitati ipſum Deum ſubjecerint. Excute omnes pelves, aliud evincere non poteris. Inſpice interim Thomam contra gentes, apud eum lib. I. cap. 83. & 85. hæc invenies: Deus neceſſariò vult quicquid vult: poſito autem hoc, quod aliquid velit, eſt neceſſarium, quia voluntas Dei eſt immutabilis, & tamen hæc

æterna voluntas, quæ eſt immutabilis, non tollit à rebus volitis contingentiam; quia multa contingentia dicuntur propter cauſſarum proximarum contingentiam, etiamſi cauſſa prima fuerit abſoluta. Ex his reſponſio patet ad ea, quæ duo Remonſtranticorum calumniatorum Goliathi Tilemus & Corvinus tibi ſuppeditarum de lapſu Adami. Quando enim docemus Adamum lapſum eſſe neceſſario, intelligimus neceſſitatem ſecundum quid ex ſuppoſitione divini decreti: tantum vero abeſt ut hoc decretum Adamo libertatem adimat, neceſſario eam infert. Decrevit quippe Deus ut Adamus libere peccaret, unde & in eo ita circumſcripſit potentiam, ut aliter velle non potuerit quod volebat, quam libere: & tamen extra culpam manſit. Quamvis enim decretum ejus in ſe fuerit neceſſarium & infallibile, nihil tamen in Adamo poſuit, per quod ad peccatum ferretur, ſed eum reliquit propriæ libertati, non impediendo illud quod impedire potuiſſet. Nihil ad rem quoque, quod Adamus aliter velle non potuerit? Verum enim hoc quidem ratione eventus, non tamen ratione potentiæ ipſius voluntatis: ea nequaquam eſt coacta, ſed liberrime, ſpontaneoque motu & impetu, aſſenſa eſt Diabolo, ac in peccatum ſe profudit. Sed quorſum ſententiam ὀρθοδοξωτάτην tam fuſe propono? Eam intelligere neque poſſunt, neque volunt qui oculos claudunt, ne lucem videant: quibus ſolis quia hæc non ſcribimus, rogo omnes ingenuos Pontificios ut inſpicere dignētur ſcripta Anſelmi, Hugonis de S. Victore, Alberti Magni, Alexandri Halenſis, Bonaventuræ, Capreoli, Durandi, Ægidii, Cajetani, Soti, Medinæ, Bannis, Cumelii, Riſpolis, Vincentii Aſtricenſis, Alvaris, Trigoſii, Scoti ac Scotiſtarum, ex iiſque diſcant concurrere (ut orthodoxi ſemper docuerunt) cum libertate arbitrii creati, nulla præſuppoſita fictitia quorundam Ieſuitarum & Remonſtrantium ſcientia media, neceſſitatem ex ſuppoſitione abſoluti & efficacis decreti voluntatis divinæ, providentiæ & prædeſtinationis ejus: quæ neceſſitas à dictis authoribus vocatur *neceſsitas in ſenſu compoſito*, item *neceſsitas modalis de dicto*, alias *neceſsitas immutabilitatis*, vel *infallibilitatis* interdum etiam *neceſsitas conſequentiæ* aut *neceſsitas conditionata*. Nec ignota per omnia hæc doctrina Ieſuitis eſt. Apud Gregorium

enim de Valentia quæst. 22 p. 839, sic lego; Communiter Theologi dicunt, effectum contingentem, quatenus quidem est à Deo prævisus, esse inevitabilem seu necessarium secundum quid, nimirum ex ea hypothesi divinæ providentiæ. Simpliciter autem & absolute esse evitabilem, propter conditionem nimirum proximæ caussæ illius quæ est contingens. *Et paulò post*; Ex certitudine divini actus, puta præscientiæ aut voluntatis, aut providentiæ, tantum abest ut colligere liceat necessitatem simpliciter effectus ejus, qui fuerit futurus à caussa contingente vel libera, ut potius oporteat ex ea colligere ejus libertatem seu contingentiam. Nam effectus eo prorsus modo eventurus est certò, quo à Deo fuit præscitus, & volitus, & provisus, puta libere seu contingenter, id est, à caussa, quæ possit impediri, aut etiam sponte non agere. Possumus tamen ex ea certitudine divinorum actuum, colligere necessitatem quandam, seu inevitabilem effectum ex hypothesi, id est, posito quod à Deo præscitum, & volitum, & provisum fuit, illum ita futurum, quamvis à caussa posset etiã non esse, & proinde à qua futurus esset contingenter, absolutè & simpliciter. Hæc Valentia. At forte eã ignorarunt Patres? non Augustinus, Fulgentius, Maxentius, aliique qui post exortum Pelagium vixerunt: ante eum enim (quod nequaquam diffitendum est) laxè nimis, & interdum periculose loqui solent. Nec favet Lovaniensi Doctori & Pelagianæ Papanorum sententiæ de libero arbitrio Hieronymus lib. 2. contra Iovinian. cap. 2. quamvis libenter bonis suis Catholicis persuasum hoc cupiat. Expendamus enim ejus verba: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioqui ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est.* Quis nostrum hoc unquam negavit? aut quis animæ rationali eripuit liberum arbitrium naturale? Loquitur enim Hieronymus de naturali libertate voluntatis à coactione, à quã non potest non libera esse: hocque vult dicere, homines scientes volentesque agere, id quod agunt. Ut autem Gregor. Ariminensis lib. 2. distinct. 29. in calce dicit: *Sufficit ad rationem voluntarii, si à sciente & voluntario committatur.* Eodem modo Hieronymus loquitur comment. in cap. 26. Jerem. *Liberum homini servatur arbitrium, ne ex præscientia ejus,*

quasi ex necessitate cogatur. Item Cyrillus Catech. 4. *Liberum arbitrium*, inquit, *habet anima, & potest quidem diabolus incitare; cogere præter voluntatem non potest.* Ex his omnibus, qui nasum habent, liquere credo, verissimam nostram doctrinam de libero arbitrio tam procul distare à deliriis Manichæorum, quam Lovaniensis Magister à bona mente. Ut ingenue confitetur quoque Maldonatus Ies. comment. in 6. Matth. cap. in Desper. caussa à nobis citatus, Neque enim unquam quis è nostris docuit Deum malum in homine creasse, quod tamen illoto ore asseruit Bellarm. cap. 5. de Gratia primi hominis. Verba ejus hæc sunt: Sciendum, hominem naturaliter constare ex carne, & spiritu: & ideo partim cum bestiis, partim cum angelis communicare naturam. Et quidem ratione carnis, & communionis cum bestiis, habere propensionem quandam ad bonum corporale, & sensibile, & in quod fertur per sensum, & appetitum. Ratione spiritus, & communionis cum Angelis habere propensionem ad bonum spirituale, & intelligibile, in quod fertur per intelligentiam, & voluntatem. Ex his autem diversis, vel contrariis propensionibus existere in uno eodemque homine, pugnam quandam, & ex ea pugna ingentem benè agendi difficultatem, dum una propensio alterā impendit. Hæc Bellarminus. Quidmagis ad mentē Manichæorum dici posset? Ex nostris si quis talia per imprudentiam scripsisset, quos non clamores tolleret Lovaniensis Stentor? Si graphicus sophista velit haberi, patrocinium suo Atlanti paret.

CAPVT

CAPVT III.

Orthodoxi non statuunt Deum authorem peccati esse.

Quod homo ad malum feratur, nō ex Deo, ut calumniatur Doctor, *sed ex eo ipso esse docent. Nec dicunt* Deum *voluntates pravas perinde inspirare ac sanctas. Distinguendum inter peccatum quatenus est actio aut motio naturalis & inordinatam irregularitatem, quæ ei adhæret. Quomodo Deus sit author entitatis non malitiæ docet Soto. Defenditur Dn. Maccovius contra Tilenum. Sano sensu dici potest* Deum *malum qua malum permittere. Deus non impellit innocentes in scelus, & dein flammis æternis vindicat: ut Orthodoxis affingit. Libertus nescit distinguere inter instrumenta agentia, & merè passiva. Quomodo dicatur Deus impiis ut instrumentis uti? Doctor falsarius in citando Calvino. Quanti Tilenum faciamus? Quid existimandum sit de Historia Concilii Tridentini Petri Suavis?*

ACcedimus ad tertiam diaboli Helenam de Deo authore peccati; illa frementibus omnibus Orthodoxis valde molliter inter genua Papanorum, Lutheranorū, Remonstrantiumq; recumbit. Qui quamvis enim parasangis plurimis à se invicem distent, quia tamen ejusdem spiritus consortes sunt, ὁμοθυμαδὸν calumniis suis veritatem, Deique gloriam obscurare laborant, &

Κεκλόμενοι καθ' ὅμιλον ἐπ' ἀυλῇ πάντες ἔβησαν.

Quis moretur ergo Apostatam Tilenum, quem ut Gorgonem quam terribilem Doctor per totum caput tertium Epistolæ suæ ostentat? Nullus dubito quin doctissimi calumniatoris delitias, Remonstrans quis, forte congerro Amstelodamensis Marii, illi communicaverit. At quales tandem sycophantarum διαβολαὶ? *Qui voluntatem non ut liberam, dicit Fromondus, tractat molliterque ducit, sed ut servam versat, & impetu quodam effreni in affectus omnes rectos, pravos, sine discrimine impellit; quomodo non magis omnium auctor, quam obnoxia voluntas, quæ motus istos omnipotentis magis patitur, quam agit? Unde sequitur,* Deum *non tantum permittere, sed*

etiam

etiam velle peccata hominum. Sed quis unquam ex nostris docuit *servam voluntatem à Deo impetu effreni in affectus omnes rectos, pravos sine discrimine impelli?* Quod ad malum feratur voluntas, non Deo, sed homini ipsi corrupto ex asse imputamus: quod boni aliquid velit, uni gratiæ, Deoque, qui eam largitur, acceptum ferimus; libenterque cum Bern. de grat. & lib. arb. dicimus: *Velle siquidem inest nobis ex libero arbitrio, non etiam posse quæ volumus, non dico velle bonum aut velle malum, sed tantum velle. Velle etenim bonum, profectus est, velle malum, defectus.* Inde perpetuo illud Ozeæ usurpamus; *Ex te perditio tua, tantum in me auxilium tuum.* Idem omnes nostri Doctores contra cujuscunque κόμματος cerberos perpetuo protestati sunt. Sic Dn. Calvinus lib. Instit. cap. 18. §. 4. disertè negat; *Deum esse peccati authorem, etsi impiorum consilia & actiones regat.* Beza de æterna Dei prædest. contra Castal. *Quod inquit David, non Deus volens iniquitatem tu es; perpetuò verum esse confitemur, & eum, qui secus sentit, pro impio & blasphemo habemus.* Similiter Petrus Martyr in Iud. cap. 9. *Deus,* inquit, *neminem cogit, ut male agat, sed quisque volens peccat: quare in illum caussa peccati non est rejicienda. Nam cum in nobis cupiditates non procreet, culpam non debet, præstare, si pravæ actiones ex corrupta radice pravorum effectuum dimanent.* Idem omnes alii orthodoxi in scriptis suis quacunque occasione inculcant. Sed pergit Fromondus: *Verum est, disertis verbis affirmare non audetis, quia tam aperte blasphemi, lapides populi metuere solent; sed Philosophi ajunt, consequens (at evidenter affirmari in suo antecedente, ex quo inspecto mox prosilit per necessariam consequentiam.* Ergo videamus an per necessariam consequentiam impium & blasphemum hoc dogma prosiliat? Sic vero noster: *Ex doctrina Lutheri, Zwinglii, Buceri, Calvini, Bezæ, Martyris, id est, Principum, qui dicunt eum voluntates pravas, perinde ac sanctas, inspirare, aperte consequens est, ut malarum juxta ac bonarum voluntatum sit author.* Φεῦ βλασφημίας! Si non velis diabolo calumniatorum principi similis videri ostende in scriptis magnorum illorum Theologorum alicubi hæc inveniri; *Deus voluntates pravas perinde inspirat ac sanctas.* Sed nunquam hoc præstabis: nisi more tuo quid ex quo colligere volueris. Tantum vero abest ut Doctores

vestri

nostri hoc doceant, expresse contra, ubi Scriptura dicit Deum hominem ad peccatum *impellere & movere*, aut peccatum *ordinare, & efficere* (ut 1.Sam.3.2.Sam.15.1.Reg.Ps.106.Ies.63. Rom.1. Act.2 & 4 &c.) distinguunt inter peccatum quà peccatum, & quatenus per accidens divinæ bonitatis ordinari potest ad bonum. Item inter peccatum quatenus est actio aut motio, naturalis, & ἀταξίαν ac inordinatam irregularitatem quæ illi adhæret. Quomodo & distinguere docet; Bellarmin. lib. 1. de amissa gratia cap. 1. *In peccato*, inquit, *duo reperiuntur, substantia quæ est materiale, & ratio ipsa, quæ est formale peccati. Substantia peccati, est actio aliqua voluntaria, vel voluntaria actionis omissio. Ratio peccati est ipsa declinatio, seu remissio à regula, in illa actione.* Id. lib. 2. de Amissa grat. cap. 18. *Actio tota est à Deo, ab ipso habet non solum esse genericum, sed etiam specificum & singulare.* Et paulo post; *Deformitas autem ipsa, seu declinatio Deo tribui non potest, nec tam habet caussam efficientem, quam deficientem.* Et ibid. cap. 17. *Deus non est author peccati, ut pœna, impellendo ad peccatum; sed deserendo, permittendo, non miserendo.* Inde omnes nostri Theologi uno ore cum Theodoro Beza aphorismo 31. contra Castellion. dicunt: *Nunquam Dominus peccata, quatenus peccata sunt, permittit, imo semper prohibet ac vetat.* Et cum Petro Martyre in cap. 1. ad Rom. *Peccata duo complectitur, actionem & defectum: si loquamur de actione eam à Deo fieri non est dubitandum. Defectus autem cum pertineat ad privationem, non habet opus deficiente caussa. satis est, ut removeatur gratiâ spiritus. Ideo si in hac quæstione simpliciter respondendum sit, oportet Deum non esse caussam peccati, qua peccatum, licet sit caussa actionis, quâ actio.* Si capere non possis, mi Doctor, quomodo Deus sit author entitatis, non autem malitiæ, audi Dom. Sotum lib. 1. de Nat. & grat. cap. 18. *Quamvis*, inquit, *permulti sint, quibus non sit explicatu facile, quomodo in odio Dei, quod internam habet, & indivisam malignitatem, possit Deus caussa esse entitatis, culpæ verò non item, non tamen ita est intellectu difficile. In moralibus ille prorsus est vere, judicaturq; caussa, qui lege, ope, consilio, favore, vel persuasu movet quempiam sive ad bonum, sive ad malum. Atqui his modis & rationibus universos Deus movet, ad bonum, & honestum, neminem autem ad malum.* Soto si cares, Melchiorem Canum lib. 2.

loc. Theolog. cap. 4. consule. Videte boni Catholici, quanta patientia *puer, vitulusque* iguorantissimum senem instituat: si iterum obstrepat, catechistam ad eum, cum Orbilii ferula, ablegabo. οἶδα γὰρ ὅτι ἡ γῆ τοὺς νάρθηκας ἐπὶ τοὺς τοιούτους φύει: ut Gorgias Chærephonti ejusdem notæ homini dicebat. Sufficere hæc possent diluendæ diabolicæ & toties confutatæ atque confusæ calumniæ, nisi noster suam impudentiam per ὀρθοδοξίας desertorem Tilenum tutari pergeret, haut aliter, ac olim Nestoriani, sub Theodori Mopsvesteni nomine, damnato in Concilio Ephesino patriarcha suo Nestorio, hæresin & blasphemiam tueri studuerunt. Quæ ergo suppeditavit nostro Tilenus? Hanc calumniam: *Makovius in ipsa synodo Dordraceni, probaturum se recepit: Deum peccata velle: Deum ordinare homines ad peccatum, quâ peccatum est.* Itane vero? An non ipsa scriptura dicit: Act. 4. v. 27. & 28. *Convenerunt Herodes & Pilatus cum gentibus & populis Israel, ut facerent quæ manus tua, & consilium tuum fieri decreverunt.* Et Jos. 11. v. 20. *A Iehova fuit, quod obfirmabant cor suum, ad occurrendum bello Israeli, ut internecioni devoveret eas?* Et 1 Reg. 12. v. 15. cum populus deficeret à Roboamo, dicitur *caussa fuisse à Jehova?* Utrum durius est: dicere cum distinctione Iehovam velle peccatum, quam Herodem, & Pilatum ea fecisse, quæ Deus decreverat: item à Iehova fuisse factum quod populi aliqui cor offirmarent, & decem tribus deficerent à Roboamo? Nota, Doctor, ea quæ apud Augustinum Ep. 48. occurrunt, & scripturam cum Doctoribus nostris intelliges: *Cum & Pater tradiderit filium suum, & ipse Christus corpus suum, & Iudas Dominum suum, cur in hac traditione Deus est pius, & homo reus? nisi quia in re una quam fecerunt, caussa non una, propter quam fecerunt.* Et paulo post; *Discamus in similitudine operum, discernere animos operantium, ne clausis oculis calumniemur, & benevolos pro nocentibus accipiamus.* Tradidit enim Deus filium suum in amore ac misericordia: Iudas vero avaritiæ stimulo instigatus in furore ac nequitia. Tradidit Deus, dum volens Judam optimo consilio tradere permittit, pessimam ejus voluntatem, quam impedire poterat, non impediendo, nec interim factum illi mandando, aut probando. Tradidit Judas, dum permittente Deo, innoxium virum, ut ava-

avaritiæ ſuæ ſatiſfaceret, contra cognitum ſibi Dei mandatum, prodidit & tradere voluit. Aliud nihil à Doctoribus noſtris docetur, nec etiam à Cl. Makkovio in controverſiis his exercitatiſſimo: legantur accuratiſſimæ illius Theſes. Sed dicit ὑπερασπιστὴς Doctoris noſtri, Cl. virum docuiſſe; *Deum ordinare homines ad peccatum, quâ peccatum eſt.* Non credo ſummum Theologum in ſynodo ſic locutum fuiſſe, verum potius cum noſtro Perkinſio, cujus hæc verba pro ſuis adoptat Diſput. de voluntate Dei permiſſiva & effectiva: Non nego quin malum Deus permittat, ut eſt malum in ſe (alioquin malum non eſſet proprie in natura) ſed nego permittere quia malum. Deus enim nunquam permittit malum propter ſe, ſed propter conjunctum bonum. Hoc ſibi vult illud Bezæ, contra Caſtalionem de Prædeſtinatione. Nunquam Deus peccata, quatenus peccata ſunt permittit, imo ſemper prohibet & vetat. Poſtea paululum recedere auſus à ſuo armigero, impuriſſimis manibus ſanctiſſimum Calvinum invadit, quia ſic alicubi ſcripſit: Deus in ordinando hominis lapſu finem habuit optimum & rectiſſimum, à quo abhorret peccati nomen. At quid rectius, aut pie magis dici poſſet? Quanto durius, & tamen veriſſime, Melchior Canus lib. 2. loc. Theol. cap. 4. Deus eſt naturalis cauſſa motionum omnium, etiam malorum, non autem moralis, hoc eſt, nec ſuadet, nec imperat malum. *Sed pergit noſter*: Quaſi vero ad gloriæ ſuæ incrementum, liceat tyrannidem in miſeros ſubditos exercere, innocentes in ſcelus impellere, & deinde flammis æternis vindicare. Lex enim & ratio æterna vetat, Rom. 3. facere mala, ut veniant bona. Calumnia hæc commodato ſumpta à Bellarmino lib. 2. de Amiſſ. grat. & ſtatu pecc. cap. 1. At quis noſtrum unquam hoc docuit? Si *τὸ facere* in Pauli loco accipiatur ſtricte & à permittere diſtinguatur, ut habeat rationem cauſſæ efficientis proprie dictæ ſive Phyſicæ ſive moralis, dicimus & conſtanter ſemper docuimus Deum nulla ratione facere malum ut malum, multo minus ut eveniat quid boni inde: ſemper enim diximus & adhuc dicimus Deum nihil facere aut facere poſſe, quod non ſit bonum. Ipſe actus peccati bonus eſt in genere entis, ejuſque authorem eſſe Deum non tantum fatentur Dominicani omnes, ſed & doctiſſimi

Jesuitarum. Tantummodo dicimus, Deum permittere malum, ut inde eveniat bonum. Adi Doctor Suarezium in opusc. Theolog. lib. 4. disp. 1. §. 1, num. 14. & sapere disce. Ibi hæc offendes: Hæc etiam opera non fiunt nisi Deo volente, neque ipse influit in ea, nisi voluntarie: quod etiam verum est de operibus peccatorum, quatenus à Deo fiunt (*quam dure*) & Deus in illa influit: nam quatenus est universalis provisor sapienter judicat expedire tales actus permittere, & ad illos concurrere, (*Nota bone Doctor*) & justissime hoc ipsum vult: oportet tamen in peccando distinguere, aliquid quod à Deo fit, & aliquid quod à Deo non fit: Operatur enim Deus actum peccati, non malitiam ejus. Sed pergit Fromondus & dicit nos docere, *Deum innocentes in scelus præcipitare, & dein flammis æternis vindicare*. At quam falsum hoc? respicit procul dubio doctrinam verissimam de Reprobatione. Sed an ex ea sequitur innocentes æternis flammis adjudicari? nequaquam. Audiantur Doctores nostri. Beza Annotat. in cap. 9. ad Rom. v. 15. Inepte faciunt, qui reprobationis decretum cum damnatione confundunt; cum hujus caussa manifesta sit, nempe peccatum, illius verò sola Dei voluntas. Petr. Martyr in cap. 9. ad Roman. Justa dicitur reproborum damnatio, quoniam propter peccata illis infligitur; & peccata sunt caussa damnationis, quæ sequitur ultimo tempore: non sunt reprobationis, quæ fuit ab æterno. Junius lib. de nat. & grat. resp. ad rat. 16. Caussa perditionis ab hominibus interna, salutis à Deo & externa. Nec aliter Calvinus. lib. de æterna Dei prædest. contra Pichium; Cum de prædestinatione sermo habetur, inde exordium esse constanter semper docui, atque hodie doceo jure in morte relinqui omnes reprobos, qui in Adam mortui sunt & damnati: jure perire qui natura sunt filii iræ; ita nemini caussam esse cur de nimio Dei rigore quæratur, quando reatum in se omnes inclusum gestant. Pie & ad mentem nostram Augustin. Enchiridio. cap. 99. Cujus vult, inquit, miseretur, & quem vult obdurat, sed miseretur in magna bonitate, obdurat nulla iniquitate: ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur. Si quis obganniat interim nos docere secundum merum beneplacitum, Deum multos præterire, cum eodem

eodem Augustino lib. 1. ad Gen. contra Manich. cap. 2. respondemus: Caussas voluntatis Dei scire quærunt, cum voluntas Dei, omnium quæ sunt, ipsa sit caussa. Si enim habet caussam voluntas Dei, est aliquid quod antecedit voluntatem Dei, quod nefas est credere. Qui ergo quærit, quare hoc fecit Deus? respondendum est ei, quia voluit. Si autem pergat, & roget, quare voluit? majus aliquid quærit, quam est voluntas Dei: nihil autem majus inveniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, & id quod non est, non quærat: ne id quod est, non inveniat. Progreditur dein probaturus à Calvino Deum authorem peccati statui: Quomodo, inquit, non est Deus proprie auctor peccati, si ordinat & decernit peccatum; imo si sathana tanquam instrumento utitur ad movendas & impellendas mentes peccatorum? Nam Calvinus lib. 2. Instit. cap. 4. Spiritum impurum, qui agitabat Saulem, Dei spiritum vocari, dicit, quia ad ejus nutum potentiamque respondet, instrumentum magis ipsius in agendo, quam à se ipse auctor. Magis igitur proprie Deus auctor impietatis, quam ille in impuris illis mentibus ministerio & instrumento satanæ machinatur, quàm ipse satanas; sicuti magis proprie faber, quam securis, dolat & format lignum. Bella ratio; indignissima scilicet obtusissimis fabris, securi, dolabrave laborantibus in carbonariis speluncis. Quasi pueri septennes non sciant plurimum interesse inter instrumenta activa & passiva, Magister Lovaniensis diabolum componit cum securi; eadem opera se ipsum comparare potuisset cum trunco aut stipite. Discat distinguere inter instrumenta rationalia agentia, & instrumenta rationis expertia mere passiva. Deus utitur diabolo, impiisque ut caussis instrumentalibus, interim tanquam caussæ principales sese movent & malitiam suam exercent: quemadmodum in diabolo liquet cum Deus eo ut instrumento activo in affligendo Jobo uteretur. Nec ad rem facit quod Esaiæ cap. 10. *Assyrius virga & securis furoris Domini vocatur*: hoc enim loquendi modo spiritus sanctus utitur, quia Assyrius haut magis conscius erat consiliorum Dei quam securis aut virga. At clamabit, interim *illa instrumenta ex sententia Doctorum nostrorum moveri, dirigi, & impelli.* Sed an propterea Deus author peccati? Iudas,

Pilatus, Iudæi ut instrumenta activa dirigebantur à Deo ad crucifigendum Christum, interim propria malitia fuerunt acti & exstimulati, Deo neque malas cogitationes inspirante, neque ad horrendum illud facinus cogente. Verissime Augustinus lib. 5. advers. Iulian. Pelagian. cap. 3. Hæc agit Deus miris & ineffabilibus modis, qui novit justa judicia sua non solum in corporibus hominum, sed in ipsis cordibus operari, qui non facit voluntates malas, sed utitur eis ut voluerit, cum aliquid inique non possit. Et ep. 48. Quod mali peccant, eorum est: quod peccando hoc vel illud agunt, ex virtute Dei est, tenebras, prout visum est, dividentis. Haut aliter Hugo de sacram. part. 4. cap. 15. Voluntas Dei semper impletur, & non excusantur mali propterea, quoniam in eis, & per eos voluntas Dei impletur, quoniam non sua voluntate ad implendam Dei voluntatem diriguntur, sed occulta ipsius dispositione diriguntur. Et ut accuratius loquamur: Deus nunquam moraliter quem impellit ad actionem, quam ipse vetuit, quamvis physice & naturalitea impellat: impulsio autem hæc naturalis neq; violenta neque coacta est, sed consistit in motione efficaci, quæ creaturam efficaciter movet ad omnem suum actum quoad actus substantiam, unde Act. 17. v. 28. *in Deo dicimur esse, vivere, & movere.* Si Deus morali exhortatione Iudam, Pilatum, & Iudæos fuisset exhortatus ad crucifigendum Christum, fuissent excusabiles; sed movit motione physica, quam plerisque inopinantibus adhibet, & ita administrat, ut neque arbitrii libertatem in creatura debilicet, neque impediat. Sic nos supra inter motionem moralem ac physicam distinguere docuit ipse Sotos, eamque distinctionem sequuntur Dominicani plerique. Quamvis vero non solum noster, sed & ipse Bellarminus probare laboret, ideo ex nostra doctrina sequi debere Deum esse authorem peccati, quod Calvinus dicit impios in manu Domini esse ut instrumenta, oblitus tamen sui, nobis patrocinatur lib 4. de Grat. & lib arbitr. cap. 16. ubi ita: *Respondeo Deum non movere lo aliter causam secundam, neque qualitatem ullam imprimere, sed tantum illa uti tanquam instrumento ad opus efficiendum.* Antecedentia autem & consequentia Iesuitæ, sui multis locis proditoris, evincunt hæc non tantum pertinere ad bonas,

nas, sed & malas actiones. Progreditur noster, ostensurus Calvinum male applicare profundis prædestinationis mysteriis illud Apostoli: *O homo, tu quis es* &c. *quod Apostolus, interprete Augustino, non agat de impulsu hominis stantis in peccatum, sed de desertione lapsi.* At bonum factum, quod Augustini verba aut locum non adduxit. Is eadem illa verba illis opponit, qui capere non poterant, quod tam reprobationis, quam electionis caussa non in hominum bonis malisve meritis, sed in sola Dei voluntate quærenda esset: Verba ejus hæc sunt lib. de Prædest. & Gratia cap. 16. Dic mihi quid mali Esau commisit, quid boni Iacob meruit, quod nondum natos Deus illum odit, istum dilexit? Respondet tibi non ego sed Paulus Apostolus? nihil quidem ambo meruerunt: sed habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam. Dicturus es quare? quæ est judicii hujus tam confusa diversitas? Rursus hanc præsumptionem ille confutet & dicat: O homo tu quis es, qui respondeas Deo. Quod si ita est, qua tandem impudentia homo de Deo, lutum de figulo judicabit non solum dicens, qui me fecisti sic: sed etiam de aliis damnabili curiositate perscrutans & dicens, quare de eadem massa fecisti alium quidem sic, alium vero sic. Qui enim cum non essent, esse donaverat, quo fine essent, habuit potestatem. Contendit dein noster Calvinum Deum deformare in tyrannum, & creaturis suis crudeliter illudere. Verba ejus hæc sunt: *An tibi vero non tyrannus, qui creaturis suis crudeliter illud, cum pœnas luere facit ejus calamitatis, in quam ipsius prædestinatione lapsus est Adam?* (Hæc autem ut à Calvino l. 3. Instit. cap. dicta citat) *Quid ais impie? Deum in creaturas suas crudelem suas crudelem esse* &c. At ain' tu hæc asseruisse Calvinum? gloriaris alicubi te nullos authores laudare, nisi quos inspexisti, Calvinum ipsum si adiisti Punica fide ejus verba excerpsisti. Loquitur enim ex sententia aliorum, tuorum calumniatorum nempe, quibusque διαβολαῖς verissimam doctrinam differant, docet simul & redarguit. Audiatur ipse; sic enim loquitur d. sect. 4. Rursum excipiunt, (impii nempe) Nonne ad eam quæ nunc pro damnationis caussa obtenditur, corruptionem Dei ordinatione prædestinati ante fuerant? Quum ergo in sua

cor-

corruptione pereunt, nihil aliud quam pœnas luunt ejus calamitatis in quam ipſius prædeſtinatione lapſus eſt Adam, ac poſteros ſuos præcipites ſecum traxit. An non itaque injuſtus, qui creaturis ſuis tam crudeliter illudit? Fateor ſane in hanc, qua nunc illigati ſumus, conditionis miſeriam &c. ſequentibus enim verbis diabolicæ huic objectioni ſolidiſſime occurrit. Si tale convitium aut ſycophantia à me commiſſa eſſet, quæ non convitiorum plauſtra in me exoneraſſet Doctor. Sed gratias Deo, quod nihil tale in toto noſtro ſcripto videre potuerit: alias enim non *furcifer* tantum, *nebulo & flagrio*, (his enim verborum delitiis furibundi & deſperati deſperatiſſimæ cauſſæ patroni depoſitæ cauſſæ patrocinantur) ſed omnium bipedum ſacerrimus audiviſſem. Alia dein garrit, ſed illa ſycophantiam hanc, ut vara vibiam ſolet, ſequuntur. Quod ex Auguſtini autem commentario in Pſal. 77. de Deo non inſtigante quem proprie ad malignitatem, aut eam inſpirante friguttit, utroque pollice probamus, & probarunt ſemper Theologi noſtri, quorum ſcripta cum Auguſtino in hac doctrina amiciſſimè conſpirant, ut non neceſſum ſit ex Corvino Iuriſconſulto diſcere quid de controverſiis his exiſtimarit Pelagianorum antiquorum & recentium terror. Quiſquis Fromondo indicium fecit Corvini libri contra Molinæum, ſuppeditaſſet eadem opera doctiſſimam clariſſimi Theologi Dn. Walæi τοῦ ἐν τοῖς μακαρίταις reſponſionem: aut ſaltem docuiſſet ad ἐχεμυθίαν redactum fuiſſe Corvinum, & quindecim annorum ſpatio ne verbo quidem reſpondiſſe, quia ſcit præter coccyſmos, calumnias, mendacia, agreſtes clamores, ſarcaſmos frigidiſſimos, obteſtationes falſas, alioſque Magiſtri Lovanienſis delitias nihil chartæ à ſe illini poſſe. Tilenum pili non facimus, exarmavit maledicum ejus librum de ſynodi Dordracenæ doctrina clariſſ. Voetius, nec hactenus ex tot ſcripturientibus Remonſtrantibus elumbi medicinam facere auſus eſt, omnes enim norunt eum depoſitum eſſe: eoque digitum non vertimus quod innoxias chartas ſcripturiens Adverſarius Tilenianis emblematis conſpurcavit: mendacia & calumniæ ejus neque feriunt, neque ferire poſſunt Synodi Dordracenæ membra, haut magis ac ea quæ Remonſtrantes commemorant in nova ſuæ ſectæ

Hiſto-

Historia, Nullitatibus Synodi sive Abominatione desolationis, aliisque libellorum quisquiliis, quæ si ad manus nostri advolassent, librum elephantinum, & grandes calumniarum, mendaciorumque Locos communes inde colligere potuisset. In authores horum librorum quadrat quod Augustinus, monet lib. 3. advers. Crescon. Gramm. *Sed eo quoque*, inquit, *impudentior victus accusator, quod fit & judicis calumniator.* Postremo calumniam hanc adversarius hoc sycophantico thrasonismo obsignat: *Plura tibi de benedicta ista vestra synodo possem, fideliora quam Petri Suavis historia Tridentina.* At è quibus mendaciorum locis communibus, aut Caci antris carbonariis ea depromet? quæ & qualia in Nationali Synodo Dordracena gesta sint, discere est ex actis exceptis non tantum à nostratibus Theologis, verum etiam à pastoribus & Doctoribus è sociis provinciis & regnis evocatis. Frustra vero noster est, quod maledicos Remonstrantium libellos, aut Malderi Antverpiensis Episcopi scripta Anti-synodalia, paris authoritatis esse existimat cum Petri Suavis historia Concilii Tridentini: quæ à fratre Paulo Pontificio, Herculeo labore & maximis impensis collecta & digesta est ex registris, diariis, hypomnematis, commentariis, archivis & autographis eorum, qui non tantum Concilio illi interfuerant, sed & præfuerant.

CAPVT IV.

Satius est sacras virgines nubere, quam ut occulto libidinis incendio æstuent: id docent Patres. Inter Orthodoxos vere virgines sunt: illi neminem ad conjugium cogunt. Paulus cælibatum non præcipit aut injungit. Lege Papæ matrimonium nolentibus prohibetur. Doctoris calumniæ variæ. Orthodoxi non laxant carni fibulam; nec fornicationes probant. Ministri non solent probari cubando apud alienas fœminas. Quod Desperatissima caussa de Hieronymo nimio contra Iovinianum dixit multi Papani scriptores fatentur: qui & sæpe contra Hieronymum excipiunt. Patres non docent idem de cælibatu quod hodie Papani. Qualis sit Papanorum castitas. Plerique in Papatu temerario continentiæ voto se obstringunt. Clerus adhuc hodie est deformatissimus. Qualia sint Papistarum jejunia. Apud Papanos longe uberior fornicantium seges quam apud Orthodoxos. Fornicatio non tantùm toleratur à Papanis, sed etiam defenditur. Omnes orthodoxorum ministri non sunt obscuri terræ filii. Quales multi in Papatu sint clerici, quam nobiles & docti. Quam insatiabilis sit Prælatorum & clericorum, maxime vero Papæ avaritia, & hodie adhuc Iesuitarum.

SEquitur caput quartum Epistolæ, quo tantas nugas agit Magister noster quantas ullus unquam in theatro histrio: quia refellere non potuit ea, quæ è Papanis Scriptoribus adduxeram ad liberandam doctrinam nostram à Jovinianismi suspicione, aut negare threnos, quibus deformatissimus Clerus ejusque nefanda & Sodomitica libido à scriptoribus fide dignissimis in medio Papatu deploratur, honestum legitimumque nostrum conjugium insectatur, quæque à Patribus hyperbolicè ad extollendam virginitatis laudem dicta fuerunt, quasi nobis adversentur, si dextre ac secundum quid intelligantur, ut quod Medusæ caput ostentat. At singula expendamus? Quia dixeram, *nos per Dei gratiam non oblituros esse,*

esse praecepti Apostolici, *qui dicit* 1. *Cor*. 7. *Melius est matrimonium contrahere quam uri*; *amabilis Veneris nepotulus*, per convitium vocor. Sed si ego Veneris nepotulus habendus, quia Apostolicum praeceptum urgeo, nae Veneris filii Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, & Gratianus fuerunt, quia docuerunt satius esse, ut virgines sacrae nubant, quam ut occulto libidinis incendio aestuent. Sic enim Cyprian. lib. 1. cp. 11. de iis: *Si Christo se ex fide atque in animo dicaverint, pudicè & castè perseverent: sin perseverare nolint, aut non possint, nubant*. Totus autem locus ostendit, fervidissimum martyrem ut & Erasmus animadvertit, de virginibus sacris loqui, ut non audiendus sit Duraeus, qui de aliis illum loqui frustra persuadere studuit. Augustinus de ejusmodi virginibus, quas voti paenitet, lib. de sanct Virgin. cap. 34. sic loquitur: *Hae igitur, quae nubere volunt & ideo non nubunt, quia impune non possunt, quae melius nuberent, quam urerentur*. Hieronym. ad Demetriad. de quibusdam virginibus conquestus, quarum levitas ignominiae labe affecerat alias virgines, tandem subjicit: *Quibus aperte dicendum est, ut aut nubant, si se non possunt continere, aut contineant si nolunt nubere*. Et denique Gratianus distinct. 27. c. *Quidam*. *Quidam nubentes post votum asserunt adulteros esse. Ego autem dico vobis, quod graviter peccant, qui tales dividunt*. Haec si considerasset adversarius, desiisset nobis insultare ut gallis, caballisve. Neque enim vulgivagae indulgemus Veneri, aut Cynicum in morem vivimus: sed *cubile impollutum* ex Apostoli praecepto ad Hebr. 13. ut *honestum* amplectimur. Audiat Cyrillum Catech. 4. *Neque si continentiam*, inquit, *instituas ac praestes, ita caecutias ut nuptiis alligatos insecteris: Honorabile enim est conjugium, & thorus immaculatus, ut ait Apostolus*. ἔξω ἐλαιῶν autem fertur, quando existimat nullos è nobis dono continentiae esse praeditos: sunt per Dei gratiam in utroque sexu plurimi, quorum mens & corpus longe integrius quam multorum hypocritarum Ethnica Papae ἀποθεώσει inter sanctos relatorum. Interim abhorremus à doctrina daemoniorum, 1. Tim. 4. cujus consortes fuerunt non antiqui tantum Encratitae, Tatiani, & Marcionitae, sed moderni etiam Papani. Imo quia posteriora secula respexit Apostolus, hos prae caeteris notare voluit. Donum continen-

tiæ in iis, quibus Opt. Max. Deus concessit, laudamus: novimus: quippe apprime, è Paulo cœlibatus, tempore persecutionis, commoda esse multa: nec tamen quenquam compellimus ad votum virginitatis, aut authores ei sumus, ut illud affectet, quod Deo concedere non placuit: qui enim quibusdam concedit donum continentiæ, in ipso paradiso instituit & consecravit matrimonium. Facessat proinde nostri calumnia, qui ita: *Quare nemo inter ministros continentiâ similis Paulo, qui volebat omnes esse, sicuti seipsum?* Quis enim negare ausit multos iis in cœlibatu illibato ac integro vivere? Frustra vero sunt Papani omnes, quando impuro & tyrannico suo cœlibatui præcedentibus verbis patrocinatum fuisse Paulum opinantur: neque enim iis tam præceptum, quam desiderium aut votum continetur, unde comparantur à Thoma cum verbis illis, quæ occurrunt Act. 26. *Opto apud Deum omnes, qui audiunt fieri tales, qualis ego sum.* Hinc & ipse Apostolus proximè subjicit: *Vnusquisque proprium donum habet à Deo: alius quidem sic, alius autem sic.* Clarissimè innuens, continentiæ donum inter dona mere particularia esse censendum. Unde ad ea verba ipse Salmero, (ut jam prætercam Thomam, Lyranum, Cajetanum) *Vellet,* inquit, *omnes celibes esse si fieri posset: sed quia non poterant ob hominum vitium, & defectum, conjugium suadet.* Evanescunt simul nugæ Doctoris nostri sic ineptientis: *Si recinat cuculus antiquam cantilenam: donum continentiæ non habemus. Extendite in nomine Domini manum, forsitan accipietis.* Neque enim Deus tentari vult, aut male precantes exaudire. Iacob. [illegible] v. 3. Soli qui rectè petunt accipiunt. Vnde rectè Iansenius Concordiæ cap. 43. Omnis qui petit accipit, sic primum est accipiendum, omnis qui petit recta, & rectè, vel qui petit quæ oportet, & quomodo oportet. Præter hæc verò in orante requiritur, ut non sit in eo legitimũ impedimentum, quo se indignũ faciat exauditione apud Deum. Hæc Iansenius. Quibus Deus donum continentiæ non concessit, sese exponere nõ debent satanæ tentationibus, sed ad honestum matrimonium animum applicare: ut ipsis sacris virginibus Patres supra citati consulunt. Nec tamen hoc cuiquam injungimus, aut necessitatem ullius conscientiæ imponimus: Dicimus enim cum Epiphani hæres. 4.

Nos

Nos necessitatem non imponimus, verum, cum bono consilio admonemus; exhortantes eum qui potest: non autem necessitatem imponimus non potenti, neque rejicimus ipsum à vita. Et cum Ambros. exhortat. ad Virg. Sola virginitas suaderi potest, non imperari. Nec aliud observatum fuit olim in Ecclesiis Orientalibus, teste Socrate, qui lib. 9. histor. Tripart. cap. 38. sic ait: *In Oriente cuncti spontanea voluntate, & non aliqua necessitate, etiam Episcopi, seipso abstinent. Plurimi enim eorum etiam Episcopatus tempore, ex legitima uxore filios habuerunt.* Quam longe vero hæc distant à Papanorum blasphemiis, qui severa lege & inexorabili, omnibus sacerdotibus, clericisq;, ut vulgo loquuntur, cœlibatus necessitatem imponunt. Nec valet eorum excusatio, quod dicunt *ipsos sacerdotes in ordinatione, suo voto, sibi ipsis prohibere matrimonium.* Constat enim expressa lege Papæ, nolentibus etiam matrimonium prohiberi. Innocentius in decreto Ivonis, part. 6. cap. 98. Sacerdotum tam excellens est electio, ut hæc quæ in aliis membris Ecclesiæ non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita. Nam cum extra clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati & procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendum tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec subdiaconibus quidem carnale connubium conceditur. Gratian. causs. 26. quæst. 2. Can. Sors non est. Copula sacerdotalis, vel consanguineorum, nec legali, nec Euangelica, vel Apostolica authoritate prohibetur: Ecclesiastica tamen lege penitus interdicitur. Canisius tomo quinto Antiquarum lectionum edidit canones quosdam Augustanæ Synodi, cujus postremo canone sic sancitur: Episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus, ut in multis conciliis (Papanis scilicet) firmatum est, quia divina mysteria contrectant, ab uxoribus abstineant. Cæteri autem clerici, quando ad majorem ætatem pervenerint, licet nolentes ad continentiam cogantur. Si vir haberi vis, Liberte, aut diabolica hæc dogmata concilia cum doctrina & praxi Ecclesiæ, quæ floruit tribus primis seculis, aut desine nostræ sententiæ verissimæ de virginitate & conjugio maledicere. Longe enim falleris, quando nos ex Epiphanio & Augustino docere instituis, posse resisti carnis titillationibus, & æstuantibus libidini-

bus : quotidie enim hoc docemus cœlibes pariter & conjugatos ac arma è verbo Dei iis suppeditamus, quibus pro castitate tum in conjugio, tum extra illud conservanda, pugnare debent, unde sæpissime versus hos usurpamus ;

Ores, casta legas, jejunes, otia vites,
Si servare voles corpora casta Deo.

At quæ hæc consequentia? Augustinus & Epiphanius testantur quosdam, quibus ex gratia Deus donum continentiæ concesserat, integros se ab omni labe conservasse, ergo adversantur Orthodoxis, qui docent neminem ad cœlibatum esse cogendum, quia quisque proprium donum habet. Similis illa per omnia huic, quæ paulo ante in scripto tuo occurrit: Paulo datus erat angelus satanæ, qui eum colaphizabat, & tamen donum continentiæ habebat; Ergo omnes orthodoxi debent colere cœlibatum. Neque enim quæstio est an Paulus cui Deus donum continentiæ concesserat satanæ insultus singulari ipsius gratia superare potuerit, sed an necessario, ut Apostolus colere cœlibatum, & carnem virginem servare debuerit, omnesque Ecclesiæ antecessores exemplum illius sequi teneantur? hoc autem quam falsum sit, ipse ostendit 1. ad Cor. 9. ubi ita: *An non habemus potestatem sororem uxorem τὴν γυναῖκα circumducendi, ut & reliqui Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* quibus verbis hæc duo clarissime innuit. 1. Reliquos Apostolos uxores secum circumduxisse. 2. Se eandem potestatem habere, ac eodem jure gaudere. Virginem autem fuisse Paulum quis affirmare ausit? Uxorem eum habuisse existimavit antiquissimus Patrum Ignatius epistola ad Philadelphenses, quem Clemens Alexandrinus, Eusebius & alii secuti sunt, moti loco ad Philippenses cap. 4. v. 3. viduum verò fuisse, quo tempore priorem ad Corinthios Epistolam scribebat, probabiliter probari posse videtur è 7. illius cap. v. 8. Ingenio autem suo indulgent Papani, & cum iis Fromondus, quando 2. Cor. 12. per angelum satanam colaphizantem intelligunt æstrum libidinis: graviorem longe tentationem illam fuisse, quis dubitet? non dubitarunt etenim antiqui Patres, quorum plerique, fatente ipso Cornelio Lapideo ad dictum

locum,

locum,per ſatanæ colaphos aliud quid intellexerunt. Ergo neque colaphis,quos Paulo infligebat ſatanas,contunditur noſtra ſententia: Paulus enim continentiæ donum à Deo acceperat, 1. Cor. 7.v.8.quod proinde quia particulare eſt, & paucis tantum concedi ſolet,ab omnibus nullibi exigit: demus vero ſatanam colaphizantem eſſe ſtimulum libidinis, hoc tantum evincetur, eos ipſos, quibus continentiæ donum ſingulari Dei gratia conceſſum eſt, in plurimas ſæpe tentationes incidere,quas tamen divino auxilio ſuperant. At quis noſtrum hoc unquam negavit? Denique, ut probet Magiſter noſter Orthodoxorum doctrinam eſſe,*terrenam, animalem,& diabolicam*, (ſic enim detorquet verba Apoſtoli Jacobi) quia rejiciunt impuriſſimam Papanorum legem de cœlibatu, ita ineptit: Sunt enim Eunuchi,qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum, ait, & laudat Dominus; Matth. 19. cur nemo veſtrum ſpiritualem iſtam novaculam arripit? Et tamen ſuadet, ut qui poteſt capere,capiat; quare nullus manum extendit? At quis non videt iterum calumniari hominem? neque enim omnes ad conjugium cogimus, aut omnes, etiam miniſtri conjugati ſunt, quiſque proprium donum habet. Cur vero reticuit ea, quæ Dominus, loco jam dicto addit: *Non omnes capiunt hunc ſermonem*: clariſſime innuens aliquos poſſe capere,aliquos non. Quid quod Chriſtus hoc loco neque laudat, neque vituperat cœlibatum, ſed tantum commemorat,quid aliqui antehac in Eccleſia Judaica,ut verbi gratia Eſſeni &c fecerint,quemadmodum etiam refert quod aliqui natura, aliqui autem hominum arte Eunuchi eſſent. Et his quidem ineptiis, Lovanienſis Doctor ad incitas & deſperationem in deſperatiſſima cauſſa redactus,nobis invidiam verius conflare,quam doctrinam orthodoxam convellere laboravit. Si ſententiam noſtram non diſſimulaſſet, potuiſſet omnibus his λόγοις parcere: neque enim unquam virginitatem integram & ſinceram, ut ille conjugium noſtrum, inſectati ſumus; ſemper cum Baſilio diximus & docuimus: ἡ παρθενία τιμηθῆ, ὁ γάμος μὴ φαυλισθῆ. Judicate quæſo jam omnes,qui inter homines cenſeri vultis de ſcriptoris fronte,qui ita in honeſtum & legitimum noſtrum matrimonium debacchatur:

Mavultis esse equi, quam muli, galli, quam
coacti non amare capsones.

Quasi ipse scilicet cum castore Eunuchum se fecerit, aut cum Origine delirante novacula abusus fuerit, aut Deliaco alicui se secandum obtulerit, aut denique cum Cybeles sacerdotibus per vicos ac compita mendicaverit: si liceret nobis domesticam ejus vitam examinare, nullus dubito quin talis per omnia capo deprehenderetur, qualis fuit Æneas sylvius, postea Pontifex electus, Pius II. dictus. Gallus ille, an capo fuerit, discite omnes Papani ex 15. ejus Epist ad Patrem. sic autem ibi: *A*is dolere te meum crimen, quod ex peccato genuerim filium. Nescio quam de me tibi finxeris opinionem. Certè nec lapideum nec ferreum genuisti filium, cum esses tu carneus. Scis qualis tu gallus fueris. *A*c nec ego castratus sum, nec ex frigidorum numero. Nec sum hypocrita, ut videri bonus, quam esse malim. Fateor ingenuè meum erratum, quia nec sanctior sum Davide rege, nec Salomone sapientior. *A*ntiquum & vetus est delictum, nescio quis eo careat. Late patet hæc pestis (si pestis est naturalibus uti) quanquã non video, quum Natura, quæ nihil perperam operatur, omnibus ingenuerit animantibus hunc appetitum, ut genus continuarent humanum. Pergit vero calumniari noster: Clamat *A*postolus: fugite fornicationem; Non sic quidam vestrum, quos narrat *A*mbr. Catharinus, habitando & dormiendo cum mulieribus, suo tempore periclitatos, an dono continentiæ præditi essent. O lepidos periclitatores! Quantum fidei Catharino, jurato Lutheri & orthodoxorum adversario tribuendum sit, judicate omnes, qui homines estis. Ne verò disputatorum impudentissimus, me falsissimã hanc fabulam per verissimam & brevissimam regulam, *Mentiris*, tantum solvere posse clamet, velim obsetvet me tantundem Catharini fabulæ tribuere, ac simili Iesuitæ Vasquez narrationi: qui illoto ore, & aperto capite in disp. 20. cap. 4. contra solem sic in sequentibus verbis mentitur: Testantur viri gravissimi eô magis in Gallia & *A*nglia homines ab *A*theismo detineri, quo avidius Magicis artibus student, quod nisi inter hæreticos Deus permisisset, penè omnes jam in *A*theismo versarentur. Probari dicit nostros

stros

ſtros miniſtros conſueviſſe: quaſi ſcilicet voluerint ſimii eſſe equitum Teutonicorum, penes quos in proximis lecticis ſpecioſæ virgines, durantibus annis probationis cubare ſolent: ut colligere eſt ex manuſcripto Chronico domus Teutonicæ Ultrajectinæ. Deinde ad ſolitos ſibi coccyſmos accedit, probiturus ſcilicet nos Joviani hæreſios conſortes eſſe, *quia* ſcilicet *impugnamus virginitatem, odimus pudicitiam, continentiam hæreſim, pudicitiam libidinis ſeminarium dicimus*. At quis diabolorum impudentiores unquam calumnias eructavit? Auguſtini dictum aſſerentis: *Caſtitatem cœlibum meliorem, quam caſtitatem nuptiarum eſſe*: ſi ſano ſenſu accipiatur, ambabus quoq; ulnis amplectimur. Semper enim docuimus κατάτι, & quodam reſpectu virginitatem conjugio præferendam eſſe, quamvis conjugium ſæpe ἁπλῶς & ſimpliciter, præſtet. Auguſtinum autem docuiſſe tam conjugatos, quã cælibes Deo poſſe placere, liquet ex eodem tractatu de Bono conjug. cap. 11. ubi ita: Quæ innupta eſt, curat &c. Non, inquit, hoc ſic accipiendum eſt, ut putemus, non eſſe ſanctã corpore Chriſtiani conjugem caſtam. Omnibus quippe fidelibus dictum eſt: Neſcitis quoniam corpora veſtra templum ſunt ſpiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo. Sancta ſunt etiam corpora conjugatorum, fidem ſibi & Domino ſervantium. Cui ſanctitati cujuſlibet eorum, nec fidelem conjugem obſiſtere, ſed potius ſanctitatem viri prodeſſe infideli uxori idem Apoſtolus teſtis eſt, dicens: ſanctificatus eſt vir infidelis in uxore. Dixeram nimium fuiſſe Hieronymum in inſectando Joviniano, adduxeramque ſemel atque iterum in deſperatiſſima Cauſſa idem affirmantes, Acoſtam, & Salmeronem Ieſuitas: (Eraſmum enim, quia à Bellarmino vocatur Lucianus Batavus, ad partes vocare non audebam) Fromondus Ieſuitarum odium veritus, eos mihi aſtipulari diſſimulat, inepteque vocat *fugitivum*, quaſi *per laudatam Ioviniani, & calcatam Hieronymi authoritatem*, elabi tantum potuerim. At ſi ego fugitivus, vapulare quoque debent Jeſuiticæ ſocietatis principes, qui viam ad fugam munierunt. Egone magis, an illi in Hieronymũ injurii ſunt? Dicunt Hieronymum *matrimonio fuiſſe iniquiorem, & in dehortando ab eo plus æquo acriorem atque ferventiorem*. Quid acerbius à me in Hieronymum dictum? An taces! Egone hæreticus quia contra Hierony-

ronymum excipio? Romam abi, & hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus perſuade *Acoſtæ* & Salmeronis ſcripta Vulcano eſſe conſecranda, quia labefactando authoritatem Hieronymi, ſimul diſſolverunt chordas fidei catholicæ. *At* non ſpero te eô furoris perventurum eſſe, ſurgerent enim mox Patres Societatis Ieſuiticæ, tuamque ignorantiam, quæ pag. 21 Epiſtolæ ſtatuit hæc recipocrari, *Hieronymianum & Catholicum eſſe*, non ſimplici cenſura notandam eſſe contenderent. Quam parum vero ſolliciti ſint doctiores *An*tichriſtianæ factionis ὑπερασπισταὶ ne labefactata Hieronymi authoritate, ſimul collabatur fides Romana, ex uno, alterove diſce. Bellarm. lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 8. § Reſpondeo. *Videtur revera Hieronymus in ea opinione fuiſſe, quæ falſa eſt, & refelletur ſuo loco.* Alph. de Caſtro lib. 6. adverſ. hæreſ. *Non vereor fateri Hieronymum hac in parte erraſſe.* Medina referente Gregor. de Valentia lib. de Epiſc. & Presbyt. differ. cap. 3. *Hieronymus hac in re cum Aërianis hæreticis ſentiebat.* Plures idē ſtatuentes exſcribere in præſens nolo, Dixeram alicubi, in Deſperatiſſima Cauſſa, quod adhuc dico (paratus perpetuo illud quocunque loco & tempore defendere) *Intra quadringenteſimum annum à primis Eccleſiæ incunabulis ne unum quidem Epiſcopum inveniri poſſe, qui examuſsim, vel in uno etiam Papali dogmate, formaliter ita dicto, ſic ſenſerit & docuerit, quemadmodum Papani poſt conciliabulum Tridentinum docent.* Teneri hic nos, & intra Orci cancros hærere exiſtimat, quia idem docemus quod Jovinianus, quē Hieronymus & Auguſtinus, inter hæreticos cenſuerunt. At quid hoc ad rem? An inde ſequitur Hieronymum conjugio nimium quam infeſtum, & Auguſtinum, idem per omnia docuiſſe de virginitate, quod hodie docent Papanæ factionis aſſeclæ? *An* qui laudibus in cœlum uſque extulerunt virginitatem, & virgines (quod libenter de Hieronymo, Auguſtino, Tertulliano, Epiphanio, Nazianzeno, aliiſque concedimus) ſimul hæc docuerunt: 1. Omnes ſacerdotes debere eſſe cœlibes. 2. Cœlibatum illum debere voveri. 3. Non licere poſt votum nuptias contrahere iis qui ſe continere non poſſunt, ne incidant in laqueos diaboli: ſed nuptias illas eſſe reſcindendas. 4. Satius eſſe ut ſcortentur clerici, quam ut uxores habeant. 5. Poſſe omnes continere, qui

volunt.

volunt. Talia enim hodie de cœlibatu docentur in Papatu. Si vir haberi vis, mi Liberte, ostende hæc omnia puncta de cœlibatu aut ab Hieronymo, aut ab Augustino aut ab utroque doceri, manusque dabo, ac coram toto orbe non tantum erroris veniam rogabo, verum etiam fatebor apud unum, duosve Patres, examussim Papanum quod dogma doceri. Molire omnia, mi Doctor, ut existimationem collapsam in integrum restituere possis. sed vide sis ne aut Bellarminum exscribas, aut Coccii thesaurum conscribilles, aut Punica in citandis Patribus fide utaris, vapulabis enim si hoc facias. In Augustino quantum præsidii habeas, disce ex Polydoro Virgilio lib. 7. de Invent. cap. 2. ubi ita: *Divus Augustinus Basilio æqualis permultis rationibus probavit connubia post votum contracta non debere dirimi: Veluti in Decret. 27. qu. 1. cap. Nuptiarum, plane extat.* Nec eo impudentiæ te accessurum credo, ut furibundi Syricii decretum aut epistolas nobis opponas, quia intra quadringentesimum annum à Christo nato conditæ sunt. Quo ore enim intuearis conjugatos Lovanii? vocantur omnes sine discrimine ab impudentissimo Papa epist. ad Himerium capitulo septimo: *sectatores libidinum, præceptoresque vitiorum.* Si sapis non potes non αἱρετικώτατον hunc Papam execrari cum celeberrimo Parisiensi Theologo Espensæo, in cujus libro de Continentia lib. 1. cap. 13. hæc lego: *Romanos Pontifices Syricium in primis & Innocentium, quibuscum Jovinianum execror.* Et paulo post Pontifices refutans: Ac proinde non intelligo (idque dictum cum summa reverentia ut cætera volo) quo sensu, conjugii, præsertim ante sacros ordines contracti usum, cleri sui sanctimonia indignum, & carnis esse immunditiem in qua Deo placere non possit, vocare non dubitarint. Nam Paulina quæ allegant, vel, Immundis nihil esse mundum: vel, Qui in carne sunt, Deo non placere: non minus ad laicos, quam clericos pertinent. Et prior locus se de fidelibus explicat: & posterior contra connubium, alibi honorabile & impollutum vocatum facere non potest. Hæc Espensæus. Cœlibatum vero, quia Papa hic Syricius, Tatianis, & Montanistis omnibus inverecundior, perpetua & irrevocabili lege primus injunxit sacerdotibus, *diabolicum* vocavi, ut omnes cognoscerent Apostoli verba 1. Tim. 4. spectare

& prima, & media, & ultima tempora N. T. Malum vero interpretem agis, quando verba hæc ita explicas, quasi quorũcunq; cœlibatum diabolum authorem habere innuere voluerim; cum omnes qui frontem & oculos habent, videre possint, me locutum fuisse de cœlibatu illo, quem tyrannica lege imperant impurissimi Papæ, Christi & Apostolorum adversarii auctorati. *At* cur scuticam mihi intentas, & stultæ audaciæ redarguis, quod dixi, *ne millesimum quidem ex iis, qui temerarium castitatis votum concipiunt, castum corpus & animam servare?* Quam hospes sis in Casuistis, manifesto nimis argumento ostendis. Quotiescunque illi de voti conditionibus disputant, hanc primam esse statuunt, ut sit deliberata ejus promissio: ne alios tibi laudem, inspice unum Lessium lib. 2. de Just. & Jure cap. 40. dic mihi, an qui temerarium votum nuncupant, bene deliberato consilio quid promittunt? Non puto te ita insanire, ut hoc statuas. Sed de talibus ego locutus sum. Quid strepis & tumultuaris ergo? aut cur mihi invidiam undiquaque conflare laboras? nam οὐχὶ περιπλοκὰς
λόγων ἀθροίσας εἶπον, ἀλλὰ καὶ σοφοῖς,
καὶ τοῖσι φαύλοις ἔνδιχ', ὡς ἐμοὶ δοκεῖ.

nisi forte secundum tuam sapientiam omnes sacerdotes, monachi & moniales temerario voto se obstringant. Subsistere hic possem: nam locutus tantum de iis sum, quod dissimulas, qui temerarium votum nuncupant. At lubet in præsens progredi, thesisque nostræ pomæria dilatare. Dico ergo plerosque, qui votum continentiæ vovent, temerarium votum vovere. Nam 1. Plurimi pueri admodum ante discretionis annos continentiam perpetuam vovent: statuunt vero casuistæ quem mox post elapsum septimum ætatis annum vovere posse, Tolet. lib. 4. de Instruct. Sacerd. cap. 27. qui semel autem votum tale fecit, nunquam eo exsolvi potest: in praxi enim Papatus observatur canon 19. Carthag. synodi tertiæ quo sic cavetur: *Placuit, ut lectores, cum ad annum pubertatis venerunt, cogantur aut uxores ducere,* (hoc est ut Canonistæ limitant, si continentiam non voverunt) *aut continentiam profiteri.* Deplorat hoc serio Cassander lib. Consult. ad Ferdinandum Imp. art. 23. cujus scripta quia à Papanis magno studio premuntur non pigebit

bit locum paulo prolixiorem in gratiam simplicium adscribere. Sic autem ibi: Fatendum est, graviter à posteris peccatum esse, qui cælibatus legem, pro tempore utilem, multis in laqueum verterunt, cum juvenes, nondum sibi exploratos, temere ad ministerium Ecclesiasticum admiserunt: & cum illi castitatis onus sibi impar esse sentirent, illi potius impuros quosdam concubitus dissimularunt, & quodammodo probarunt, quam ut finerent humanam constitutionem eorum gratia mutari, qui eam, sine offensione divinæ legis, observare non poterant. quare nimis rigida hujus constitutionis exactione abominanda in Ecclesia scandala extitisse videmus: cum tamen legis illius caussæ non solum hodie cessarunt, sed etiam in contrarium conversæ sunt, cum jam omni flagitio fenestra aperta esse videatur: unde debet Ecclesia facere sicut bonus medicus, ut si medicina, experientiâ docente, magis obsit, quam prosit, eam tollat; idque requirit Ecclesiæ status, cum plerique homines docti & pii ad continentiæ observationem astringere se nolunt, infirmitatis suæ conscii; quo fit, ut paucissimi adolescentes, NB. pietatis indole præditi, ad Theologiæ studium se adjungant. Quare si unquam tempus fuit antiquæ consuetudinis immutandæ, certè hæc tempora immutationem aliquā efflagitare videntur, ut summum castitatis gradum conscendere qui non possint, in secundo casti conjugii gradu consistere permittantur. Hæc Cassander. 2. Multi conjugati pertæsi matrimonii, ad quod vocati sunt molestias, ad inertem ac delicatum cælibatum properant, temerarioque potius mentis impetu, quam destinato consilio, perpetuam vovent continentiam. Reprehendit hoc ipse Didacus Stella Minorita: scribens enim ad hæc Luc. cap. 9. verba: *Tolle crucem tuam*: tandem hæc subjicit: *At multæ conjugatæ omittentes curam domus suæ, obsequium quod viris suis debent (quod est cura ipsarum) abjiciunt, & suspiciunt monialium crucem.* 3. Illi ipsi, qui videntur deliberato consilio continentiæ votum nuncupare, temerarium tamen votum nuncupant, promittunt enim id, quod non possunt præstare. antequam enim certo sciunt, quale à Deo acceperunt donum, perpetuæ continentiæ voto conscientiam obstringunt. Nec quidquam ad rem facit, quod Christus dixit:

Petite, & accipietis: tum enim, ut ante ex parte etiam dictum, certi sumus petendo nos quid consecuturos esse, quando desideria nostra Dei voluntati subjicimus, illudque petimus, *quod ipse vult.* Vere Jesuita Lorinus: *Exauditur quisquis talis est rogando, qualem requirit Deus, nec aliud vult, quam quod ipse.* Quamvis vero cœlibatus quodam respectu sit utilis & laudabilis, non tamen omnibus, qui eum efflagitant, conceditur; haut magis ac Paulo jugiter oranti concedebatur liberatio ab angelo satana. Quisquis ergo continentiam vovet, antequam scit eam concessurum esse Deum, ancipiti periculo se exponit, & temerarii voti reus efficitur. Liquet ergo plerosque sacerdotes, monachos, & moniales temerario continentiæ voto se obligare, quod, nisi necessitatem hic imposuisset Lovaniensis Doctor, nunquam probatum ivissem. Si temerarium vero, plerique continentiæ hypocriticæ jactatores, votum vovent, quis miretur eos in stuprum, sodomiam, μαλακίαν, aliasque abominandas libinines præcipites non tam ferri, quam ruere? quemadmodum ex plurimis Papanis scriptoribus abominandas illas sordes serio deplorantibus per omnia secula cap. 14. Desperatiss. Caussæ probavi. Plerique vero authores innibi laudati, quicquid etiam garriat Lovaniensis Magister, non de paucis monachis, monialibusve, sed de meliori parte loquuntur. Quisquis es Papista, lege illa, & hypocritas detestare. Nec tam deformatus tantum clerus fuit Lutheri tempore, sed diu etiam post: imo & hodie, ut uno ore testantur, quicunque loca illa, ubi adoratur Antichristus, lustrarunt: hæc sola differentia, quod hodie scelera magis premantur, rimæque omnes diligenter obstipentur, ne quid per eas ad simplices devotosque laicos possit deferri. Arrige aures Fromonde, & audi doctorum antecessorumque tuorum querelas, quibus diu post Lutherum, Cleri Sybariticos mores, & equinam libidinem prosequuntur. Albertus Orator Ducis Bavariæ in ipso Concilio Tridentino sequentia peroravit; Cletus noster Ecclesiæ calamitatibus nullo modo neque afficitur, neque affligitur; sed multo magis insolescit, gulæ libidinibus indulget. Proxima visitatione per Bavariam facta, tam frequens concubinatus repertus fuit, ut vix inter centum tres vel quatuor inventi sint, qui

aut manifesti concubinarii non fuerint, aut clandestè matrimonia non contraxerint, aut plures palam non duxerint. Cassander lib. Consult. art. 23. In Concilio Neocæsariensi magis punitur sacerdos, qui fornicatur post votum, quam qui publicè contrahit: idem statuitur can. 6. Concil. generalis. Jam eò res rediit, ut vix centesimum invenias, qui ab omni commercio fæminarum abstineat: populus vero ita affectus est, ut maritum sacerdotem levius ferat, quam scortatorem. Espencæus comment in *Tit.* cap. 1. Turpissimum est, quod officiales permittunt Clericos cum concubinis meretricibus, & pellicibus cohabitare, liberos procreare sinunt, accepto ab iis certo quotannis censu, atque adeo alibi à continentibus, nam habeant, ajunt, si velint. Sed dicit se paucissimos veterum flagitiorum suspectos nullos pene compertos nosse. Quasi scilicet polyposi aut cœci simus, quos non clericos ad nomen, ex iis, qui apud nos sub cruce, ut loquuntur, morantur, laudare possem, si liberet eos θεατρίζειν & traducere? ut non sit necessum in Brabantiam, aut Flandriam excurrere, & currucas è nidis non suis extrahere. At demus sanctiusculum videri clericū Belgicum! quid fiet Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, & præ cæteris, impuritatis omnis stabulo, & sordidissimæ cloacæ Romanæ? Quam illa post synodum Tridentinam sit ad regulam sanctitatis composita, docet nos Claudius Espensæus in Comm. Ep. ad Tit p. 75. ubi *deformatissimam* illam *relictam* esse serio quiritatur. Simulque quærit: *quid prætexere possunt quod eis, sibi, suisque reformandis moram vel remoram tam diu fecerit? Et ubi tamen sub sole major malorum omnium licentia, clamor, impunitas, ne dicam infamia & impudentia? talis sane ac tanta ut nemo credat nisi qui viderit, neget nemo nisi qui non viderit.* Espensæo succinit Corn. Mussus tom. 2. serm. 2. Dom. v. Quadrag. *Nomen*, inquit, *Romanum apud omnes nationes exosum est, & ipsa Ecclesia videte quæso quam exiguo sit in pretio, propter scandala, quæ audiuntur, videntur, tanguntur. Non jam loquor de inimicis, qui eam vocant Babylonem, infernum, meretricem, qui dicunt eam omnium errorum esse sentinam: sed de amicis loquor qui gemunt, & in semetipsis suspirant quotidie, dicentes. ô civitas sancta, quomodo sic es profanata! ô civitas gloriosa, quod sic viluisti, sic contempta es & negle-*

neglecta! Si ipſa Antichriſti aula tam deformata, quid exiſtimabimus de civitatibus extra italum ſolem & ſolum poſitis? Ito jam & expoſtula non tantum cum authoribus illis (ex quibus cap. 5. Deſperatiſ. Cauſſ. probavi pleroſque Clericos eſſe *Idololatras, hæreticos, apoſtaticos, apotacticos, diabolos incarnatos, ſimoniacos, perjuros, ignorantes, adulteros, concubinarios, otioſos, mundanos, carnales, percuſſores, aleatores, ebrioſos, porcos, aſinos Arcadicos*) verum etiam cum Eſpenſæo, & Muſſo Epiſcopis. Fuſte, aut telo ſi Papæ exiſtimatio poſſet defendi, ex maximis illius patronis eſſem. Digitũ vero non verto, quod à deſperatiſſimo papicola digniſſimo Fuſtidinearum inſularum regno, ad fuſtuarium ab legor: ita ut plurimum ab exarmatis ſophiſtis fieri amat. At dic mihi, Magiſter, per quas Moriæ urbes oberrabat tua mens, cum ad probandam cleri caſtitatem ab Hieronymo & Chryſoſtomo emendicares virgines illas, quæ caſtitatem in primitiva Eccleſia illibatam ſervarunt? *Ad populum phaleras*. ſcimus illis temporibus neminem voviſſe continentiam, ſed aliquos aſcetas libere ei ſtuduiſſe. Item ipſum Hieronym. ep. ad Ocean. perſtringere *promiſcuam venerem, & caninas clericorum nuptias*: & Chryſoſtomum ſerio deplorare, quod olim *duo genera commixtionis viri & fæminæ nota fuiſſent ſuo vero ævo tertium à regularibus fœminis inventum eſſe*: adhoc Epiphanium Origenianis (maximis virginitatis admiratoribus) exprobrare, quod *repudiarent nuptias, ſed non libidinem, in honore apud eos eſſet non ſanctitas, ſed hypocriſis*. Qua fronte vero negare potuiſti multos *clericos bellariis & vino ſe onerare*? Crediſne nobis ignotum eſſe jejunium & abſtinentiam eorum? carnibus abſtinent, ut piſcibus, veris Apicii delitiis, & τοῖς πέμμασι, quæ ut plurimum ſolent eſſe πήματα, ſtomachum, carnemque titillent. Ipſe, ut es ridiculus monachorum patronus, *fateris eos horulâ unâ, & ſæpe dimidiata prandiolo aut cœnula defungi*. At quotuſquiſque ex nobis ultra quadrantem cœnam protrahit? Ne quis vero tibi temere fidem habeat, exiſtimetque macilentos & devotos monachos jejunii diebus neque Cererem neque Bacchum ſalutare: diſcat ex Bellarmino lib. 2. de Bon. Oper. cap. 2. quænam inter vos jejunii leges ſint. 1. *Vnam refectionem, eamque cœnam eſſe debere, non prandium*

probatur. 2. *Cænulam sub noctem sumere ab Ecclesia toleratur.* 3. *Si tempore jejunii cibum sumant hora sexta, hoc est, ad meridiem, ab antiqua consuetudine non recedunt.* Et paulo post: *Probabilem rationem habent, qui jejunium solvunt hora sexta.* Si hoc est jejunare, quot non ex nobis per totum annum quadragesimam agitant. Videsis vero, quomodo in gratiam redeas, cum congerronibus tuis, canonicis, monachis, aliisque Papæ satellitibus, ex quibus nonnullos aliquando voti, continentiæque oblivisci à veritate victus ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ fateri compelleris. Toto vero cœlo erras, quod nobis persuaderi posse credis eos paucos esse, maxime in Belgio. Non ignotus nobis est Dominicus Soto author haud admodum antiquus: ejus hæc ingenua confessio est lib. 4. de Just. & Jure cap. 6. art. 1. *Non inficias imus crebros esse in clero concubinarios & adulteros.* Lustravimus quoque oculis nostris Speculum Concubinariorum Henrici Cuychy Episcopi Ruræmondani editum Colon. anno 1599. In quo libro pathetice docet, peccatum hoc ideo intolerandum esse, quod ita in Belgio commune sit, ut non pudeat sacerdotes in publicis conventibus, digniorem locum concubinis & meretricibus, veluti honestis matronis vendicare. In ipsa præfatione absque ulla verborum circuitione libere fatetur paucissimos in clero Romano ab hoc peccato immunes inveniri. Inter alia hæc ibi occurrunt: *Ad vos, qui casti,* &c. *qui (dolenter dico) rari estis, & ut Esaiæ 24. cap. tanquam racemi.* Si potes, doctor, excipe contra Ruræmundanum præsulem. nos fidem ei adhibemus, certoque credimus irreformabilem clerum, necdum reformatum esse, eademque flagitia in claustrorum antris, monialium cellis, templorum adytis, & canonicorum lustris adhuc premi & occultari, quæ olim: patefacienda, ubi Deo placuerit, aut Josiam, aut saltem, Iehu quem, excitare. Quandoquidem ipse Fromondus suo patrocinio, suscepto pro abominanda cleri spurcitie, diffidit, calumniis mendaciisque è triviis collectis, instar rabidi canis, innocentissimos quosque è nobis petit. Ut vero simplices & omnium ignari Catholici, magni quid à Lovaniensi Doctore in Crisi præstitum esse credant, dissimulando ingenuas & simplices Desperatissimæ nostræ Caussæ responsiones (contra quas ipse

ne hiſcere quidem ſuſtinuit) *plurimas & infames maculas à ſe in Patriarchis noſtris notatas eſſe* jactat. Et cur non jactaret? Criſin, præter authorem, ſanus nemo, aut Pontificius, aut Orthodoxus laudabit unquam. Ridete mei Batavi, nec femur ferite quod Clodius mœchos accuſet, & in vobis qui è Dei præcepto legitimo matrimonio gaudetis, *adulteria & alias fœditates*, lippientibus præ atra carbonum fuligine oculis intueatur. Fatemur libentiſſime, ſed & dolemus, quoſdam è nobis mundo & carni ſervire: interim decuplo uberior fornicantium & adulterorum ſeges apud Papanos, quam apud Orthodoxos eſt: quid quod plerique adulterantes inter nos, Antichriſti characterem in fronte gerunt. Et cur non, qui Babylonicam meretricem adorant, carnaliter ſcortarentur? Ipſe Romanus pontifex ſtatuit *in urbe ſua lupanaria, quæ approbat, æque licita eſſe, atque cives religioſos*: hanc enim propoſitionem in carcere Wiſbicenſi tabulis obſignatis ſacerdos quidam Ieſuita defendit, docente authore Pontificio Apologiæ Seminariorum in Anglia ad Clement. VIII. Pontif. Rom. anno 1602. Inde in ſanctiſſima urbe tanta pæne lupanarium, quanta ædium copia. ne quis vero me, qui Italiam per Dei gratiam nunquam vidi, à vero aberrare exiſtimet, Claudium Eſpenſæum audiat, qui ita lib. 3. de Continent. cap. 4. Illud ſua etiamnum tempeſtate Bononiæ, quantum unaquæque proſtituta, concubitu mereret in Italia obſervatum ibi notat Beroaldus, & ipſe Bononienſis, ut proſtitutæ meretrices tributum menſtruum magiſtratibus, qui vulgo præfecti bulletarum dicuntur, ſolvant, Romæ vero, hoc eſt in totius Chriſtianiſmi metropoli, quid in hac re factũ, aut non factum? Anno 1538. Paulo III. delecti pro emendanda Eccleſia reverendiſſimi Cardinales, aliique viri graves, ſic inter alia conſuluerunt, corrigendum & hunc turpem abuſum quo illic meretrices, ut matronæ incedunt, aut mula vehuntur, aſſectantibus eas de media die, nobilibus familiaribuſque Cardinalium, atque clericis, habitant etiam inſignes ædes. Nullam in urbe hac, ajunt, corruptionem vidimus, præterquam in hac omnium exemplari. Et hanc tamen turpidinem corruptelamque tum unus ex conſiliariis, Paulus poſtea IV. non ſuſtulit, quod, ut mihi bene ſum conſcius, ex quo me

collo-

colloquio dignatus est, qua potui ac debui modestia, privatim suaseram. Mirum certe tales tantosque viros, consuluisse minuendum modo scortorum fastum & luxum, non etiam semel ejicienda, an vero propter tam multos ibi cœlibes necessario retinenda ? ô rem horrendam! mihi sane sic eos sensisse dicere religio sit. Nos Gallos stolidos, scilicet ac simplices (sic enim nos illi vocant homines scilicet subtiles atque sapientes) non posse non graviter offendi tot mille luparum in iisdem muris, una in urbe, sub eodem prope, quod ajunt, tecto, quotidiano conspectu, ac velimus nolimus, occursu. Non enim jam ut olim, sub mœnibus habitant, aut sub Mœnianis Circensibus, Martiali ob id Summœnianæ dictæ. Quærit Q. Fabius lib. 7. cap. 4. An in lupanari cum aliena deprehensus, adulter sit? non quæsiturus nisi certo jam loco fuissent diversatæ. Nunc vero sub Christi vicariis & Petri successoribus, ut alius quidam cecinit,

——— Urbs est jam tota lupanar,
Mater & Aeneæ regnat in urbe sui.

Quodque in Solone Plutarchus scribit, Athenienses mitibus nominibus urbanè imminendo rerum atrocitatem mitigasse, meretrices hæteras, socias, amicas, nuncupantes. Ita Romanenses sua nundinalia pudoris propudia, curtisanas vocant. O Italicum acumen! Hactenus Espensæus. Hinc Jesuita Possevinus laudaturus sanctitatem urbis Romæ, primo loco recenset domicilia meretricibus senescentibus, concedi solita, si forte de castitate colenda extremo vitæ articulo consilia agitent. Cur non vidisti, bone vir, manticæ quod in tergo est: meretricibus & scortantibus si voluisses pœnitentiam annunciare, eos non in Batavia, sed prope vaticanum, aut Antverpiæ in platea à cochlearibus denominata, quæsitum ivisses. Accende auspice venere lucernam, indicis & nomenclatoris vice in magna urbe esse poterit Frater Maximilianus, si forte scenicis concionibus adhuc absterget adulterorum & scortantium fastidium. Sed dubito admodum an vobis sybariticis canibus Lenones vel fores aperire voluerint: norunt enim pro se publicam potestatem militare, & sine ulla imposita pœnitentia absolvi à familiaribus sibi sacrificulis eos, à quibus stabula conducta

cta habent. Apprime imbiberunt magni illius Navarri sententiam, qui ita in Manuali cap. 17. num. 195. *Licet potestati publicæ permittere meretrices in aliqua parte civitatis: & postea, alicubi constituuntur eis Patroni, & domus eis locantur carius, quam honestis locarentur: Et in hac urbe Romana, sciente & patiente Papa, locantur, & semper consueverunt domus locari meretricibus: & confessarii absolvunt, & semper absolverunt locatores eorum, sine proposito abstinendi à tali locatione.* Meretrices ne quidem aures arrigent, quia sciunt se indignas legum laqueis haberi: didicerunt enim hoc ex Candelabro aureo Martini Vivaldi ubi tit. de Confess. num. 60. hæc leguntur: *Quæritur utrum hæ meretrices censentur excommunicatæ per Synodales constitutiones, quæ nec confitentur, nec communicant?* Resp. *Meretrices nunquam publicantur, nec denunciantur pro excommunicatis in Ecclesia: nec visum unquam fuit, aliquem hac de caussa ab earum participatione fugisse, &c. Pro resolutione dico, quod si non confiteantur, nec communicent, per 10. aut 20. annos, non ideo incurrunt pœnas Ecclesiæ, in detestationem pessimi sui status, quia meretrices non sunt dignæ laqueis legum.* Fornicantes vero nasum corrugabunt, & petulanti spleni habenas laxabunt, quia sciunt in Jure Canonico Caus. 31. q. 1. ca. *Hac ratione*, scriptum inveniri: *Esse aliquam honestam fornicationem.* At

Quis cœlum terræ non misceat, & mare cœlo,

quod Lovaniensis Doctor ausit exprobrare, è doctrina nostra de conjugio inter omnes honesto, pullulare adulteria, quia scilicet secundum Augustinum, *pudicitiam conjugalem belligerare etiam oportet contra carnalem concupiscentiam*? Quis credat hominem hunc sensu communi esse præditum, aut nosse prima elementa Theologiæ Practicæ Papanæ? ea si explorata habuisset, in gratiam Jesuitarum saltem, Divo Harpocrati litasset. Quibus enim non stimulis castissimas etiam matronas ad adulteria compellunt? Unus solum Cardinalis & Suita Tolerus audiatur lib. 5. de Instruct. Sacerdotum cap. 17. art. 3. sic loquitur: *Mulieres accipientes pretium pro vitio carnis, non obligantur ad restitutionem (quia ista actio non est mala contra justitiam,) quamvis sint virgines & conjugatæ, & cujuscunque conditionis: & quamvis accipiant pecunias in excessu, ultra pretium*

actus turpis, si libere donetur illis. Quomodo vero adulterium salva conscientia ejurare possint, docet lib. 4, cap. 21 ubi ita: *Si vir uxorem petit, an sit adultera, ista potest dicere, non sum, quamvis verum fuerit, intelligendo, ut tibi revelem.* Estisne Brabanti & Flandri, omnes è gente cuculorum, qui hos Professores adulterii & uxorum vestrorum corruptores tolerare potestis? Redit dein ad solitas ineptiarum elegantias, & ex Doctore Domestico Andrea Philopatre probat *omnes qui è seminariis Anglicanis prodierunt, si excipias crimen Majestatis, fuisse viros integerrimos:* (Quis credet hæc!) *contra ubique fere Ministros Euangelicos de flagitiis convictos, ad omnia promiscuè tribunalia nostra turpissime condemnatos, & patibulis quoque sæpissime adjudicatos fuisse.* Si Cretensis ἔτις pro Papa contra nos testimonium dicere potest, audiri quoque dignus Marcus Antonius de Dominis: ut ipse enim de se testatus est publice, postquam spe lucelli ad Antichristianas partes redierat, perpetuò animo Papismo adhæsit. Ita vero ille Ref. Error. Suarez ca. 1. nu. 8. Monachi nostrorum temporum communiter plurimi quales, Deus bone, quales sunt? Dicamne? Dicam, superbi, arrogantes, delitiosi, rebelles, exploratores, expilatores, fraudulenti, superstitiosi, impii. An non abominandi? Et ante Marcum ipse Æneas Sylvius ep. 398. Nulla, inquit, inter nos concordia, nulla obedientia est, neque spirituali, neque temporali paremus capiti, jacet spreta religio, justitiæ nullus honos, fides penè incognita. Idem in ipso Concilio Tridentino conquestus est Orator Ducis Bavariæ, ut docet *lib. Orat. habit. in Concil. Tridet.* Clerus, *inquit*, noster, gulæ, libidinibusque indulget, ac quasi velit, in contemptum Dei hominumque, omni genere vitiorum se coopertum potius palam cognosci, quam minima aliqua in re emendatum animadverti. Ut cætera Cleri vitia, quæ cum populo communia habent, taceantur; at certe, libido illa nimis libera, atque notoria, propter quam is nunc potissime infamis est, à plebe, irritatoque populo alienissima esse indicatur. Hæc ille. Indicate quotquot inter Pontificios candorem non exsuistis, Æneæ & Marco Bavariæque Ducis Legato ex asse Papano magis, an Damæ terræ filio credere debeam? Bonum factum vero, quod famosi libelli author addidit,

ἀτάκτυς ministros Anglos, condemnatos fuisse à Magistratibus, & patibuli hæreditatem crevisse: neque enim ullos irregulares in illo ordine nedum eos, qui, ut quotidie fit è monachis, per ἀσωτίας sterquilinium volutantur, tolerare fas est. Idem jus si in Anti-Christi regno seculari potestati competeret: valeret æque hæc consequentia; ubi plurimi monachi & clerici, ibi plurimi corvi: ac illa in Euangelio; ubi cadaver, ibi congregantur aquilæ. Ne autem illatio illa unquam locum habeat, sedulo clerus cavet: politico dominio quia non vult esse subjectus, impune se in omnes turpitudines potest effundere. Exemplum suppeditat historia contentionis nuperæ, per clericorum abominanda scelera, excitatæ inter Paulum V. & remp. Venetam. Postremo à teste è signatis tabellis testimonium perhibente, ad oralem Doctor accedit: virum scilicet Amplissimum, consortem religionis nostræ, qui, quia mentiri scilicet nescius, fide dignissimus habendus. Quis hic ὑπερμέγας sit, Libertinus, Remonstrans, Socinianus, Coornhertista an David-Iorista, non inquiro. Nullus dubito quin Doctor noster hunc Achillem è Remonstrantium libellis, antehac contra nos editis, contexere didicerit. in iis enim modo Amplissimus, modo Illustris ὅτις, mendaciorum ad testimonium contra Orthodoxos edendum, advocatur. Sed ut authores illarum quisquiliarum nunquam adduci potuerunt ut illos Megisthanas nominatim laudarent; sic & noster ut ut urgeatur, nunquam tamen audebit hujus viri Amplissimi, in Utopia credo dominantis, nomen prodere. At quæ tandem fabula de hoc Amplissimo viro refertur? *De vobis Hollandis*, ait, *quidam nuper, quem nominare possim, Ampl. admirans etiam Illustres apud nos adolescentes, Clericorum, aut Monachorum institutum dignari suscipere: Ministri enim nostri, addebat è fæce plerunque plebis & vilissimi sunt: ut nemo paulò honestior filiam suam nuptui cuiquam eorum dare sustineret.* Expendamus singula mendacis narrationis momenta. Ideo nostri ministri non audiendi scilicet, quia omnes non audiunt Illustres, aut Serenissimi. At quid fiet piscatoribus Christi Apostolis, quid Amoso bubulco? Apologiam pro nobis ipse Paulus 1. Cor. 1. v. 18. instituit, affirmans, *quæ ignobilia sunt, & pro nihilo habentur, elegisse Deum.*

Non ſolent noſtri miniſtri cum ineptiſſimis Papanis gloriari ſecundum carnem; quanquam multi ex iis, *habent in carne, de quo poſſent cum Paulo. Phil. 3. v. 4. confidere.* Ut enim tot nobiliſſimos & ex ordine equeſtri oriundos miniſtros, ac Eccleſiæ anteceſſores in magna Britannia & Gallia prætercam: contra nobiliſſimos quoſque avitarum imaginum ſplendorem Theodorus Beza, Petrus Martyr, Celſus Martinengus, & Antonius Sadeel tutari potuiſſent: ne quid dicam de Wolfgango Anhaltino Principe, quem Germania ſuperiori ſeculo concionantem audivit, & adhuc hodie legit. At dic mihi, carbonarii antri alumne, digni an indigni Pontificatu fuerunt Urbanus IV. ſutoris, & Benedictus XII. piſtoris filius: item Adrianus VI popularis meus, & Sixtus V. quorum hic patre bubulco, ille fabro natus fuit. ne quid dicam de tot Gigantum fraterculis. quorum cognomina ob ignobilitatem preterire maluit Platina, quam proſtituere. Audi verò, & quidem ex domeſticis teſtibus nobiles, ab his Illuſtrib. Dominis ut plurimum ſimplicibus ovibus paſcendis præficiantur. Epiſcopus Chemenſis, in lib. qui inſcribitur Onus Eccleſiæ cap. 21. *Pontifices*, inquit, *ſuos coquos, tributarios, ſtipendiarios, & ſtabularios, frequenter animarum curæ ac dignitatibus præficiunt.* Aventinus in Præf. lib. 6. Hiſtor. ſic de Domino Deo Papa: *Ovili Chriſti hircos, lupos, libidinoſos, coquos, muliones, fucos, & literarum omnium rudes imponit.* Sic & Picus Mirandula in Grat. ad Leonem X. dicit, *ſacras ædes catamitis & lenonibus, & hominibus indigniſsimis committi.* Quam docti vero ſint multi ex his lumbricis etiamnum hodie, evincunt Miſſalia, & Euangelia cum accentibus edita ne forte legant *in illo tempōre*, pro tempŏre. Ne quis amplius rideat bonum Dominum Johannem, cujus teſtamentum pro moribundo ſutore ſcriptum, adhuc hodie ſervatur in Archivis Collegii Magdalenenſis Oxonii. Sequentes enim elegantiæ benedictæ præmultorum monachorum barbariſmis: *In Deus nomine, Amen. Deus animam, corpus terram. Bos ſuper Eccleſiam. Altare vitulus, & tibi Dominus Iohannes titulus. Viginti par ſotularibus diſperſit, dedit pauperibus. Reliquis & reliqua, intus & extra, Vxor & Filia.* Tabulis his ſimilis per omnia ſequens formula, qua multi uti ſolent, ut liquet ex Diſtinct. 21.

cap.

cap. 1. Cleros. *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu sancta.* Sed pergit vir amplissimus per Fromondum ministros nostros sic traducere: *Deinde quicquid aliud externa modestia & compositione vestis præse unt, intus avaritia & pravis cupiditatibus plenissimi sunt, & nebulones qui omnia divina humanaque ad lucrum referunt.* Hoc ne ministris Reformatis an Antichristo ejusque satellitibus magis conveniat, judicent, qui utrosque noverunt. Qualis conversatio ministrorum nostrorum sit, pseudo-catholici, quos toleramus, quotidie vident: unum irregularem si inter eos laudare possint, decem κακίονος κόμματος sacerdotes opponemus. Nolo vero in præsens vitia eorum notissima & quotidiana recensere, & fictis vera opponere. Ut enim Homeri illud usurpem:

Ἐστὶ γὰρ ἀμφοτέροισιν ὀνείδεα μυθήσασθαι
πολλὰ μάλ᾽, οὐδ᾽ ἂν νηῦς ἑκατόνζυγος ἄχθος ἄροιτο.

At tu Domine Professor

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?

Ut digito labellum compescere possis, disce quanta gregalium tuorum hypocrisis sit ex oculato teste Marco Antonio, Error. Suarez cap. 1. ubi ita; *Scilicet nobis Romanis, alia sanctitas non est, nisi tota externa, & ut plurimum hypocritica, utinam non etiam Pelagiana, & in sociate Iesu multo plus hypocrisis affectatæ cujusdam mortificationis, superioribus commendat socium aliquem & promovet, etiamsi intus lateat fœdissima sentina vitiorum; quam alium interne coram Deo vere compositum, sed fictæ externæ sanctitatis rutilante veste carentem.* Quam profunda vero avaritia ipsorum Jesuitarum sit, qui præ vulgo tamen monachorum sanctiusculi videri volunt, optime docet Petrus Amelius contra Spongiam pag. 307. Oportet existimare sicut religiosorum omnium ditissimos, ita ditescendi cupidissimos & scientissimos: homines iniquissimos, qui non solum divitiarum, sed etiam paupertatis præ cæteris omnibus possessionem ad se trahunt. Pag. 308. Longum est commemorare quos fructuum proventus in civitatibus decerpere, & quam supra ullius

ullius operarii, quantumvis in temporalem, ut ajunt, mercedem intenti, votum, carnalia metere solent, ubi spiritualia seminaverunt. Pag. 311. Hinc est, ut omnes quæstuum norint vias, & una eorum domus professa Lutetiæ, privatarum largitionum tantum ad se contrahere dicatur, quantum cæteræ omnes regularium domus, quæ in ea urbe fræquentissimæ sunt, non colligant, ut religiosos, etiam instituti severioris, testificantes audivimus. Tales vero à multis seculis plerique Clericorum fuerunt. Legisti aliquando credo Bernardum, quid ille vero jam olim scripserit disce ex Serm. 77. in Cantic. Quem dabis mihi, inquit, de numero Præpositorum, qui non plus invigilet subditorum vacuandis marsupiis, quam vitiis extirpandis. Et iterum ep. 237. ad Eugenium: Quis mihi det antequam moriar, videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia in capturam, non in capturam argenti vel auri, sed in capturam animarum? Ad hoc serm. 6. in Psal. Qui habitat. Ipsa Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum, & tenebrarum negotium transiêre: nec in his salus animarum, sed luxus quæritur divitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, missas celebrant, Psalmos decantant. Pro Episcopatibus, & Archidiaconatibus, Abbatiis, aliisque dignitatibus impudenter hodie decertatur, ut Ecclesiarum reditus in superfluitatis & vanitatis usus dissipetur. Nec sic solus Bernardus, sed alii sine numero. Guilelmus Durandus Episcopus Minitiatensis lib de modo Celebrandi Concil. gener. part. 3. 4. 15. In omnem, inquit, terram in qua exivit sonus Apostolorum, sancta Dei Ecclesia, & potissimum Romana infamata est, ut vulgariter cuncti clamant, & refricant, quod in ea omnes à majori usque ad minorem avaritiæ student. Theodoric. à Niem Nemor. Union. tract. 6. cap. 37. Camera Apostolica assimilatur mari in quod intrant omnia flumina, & non exundat. Sic enim in istam portantur ex diversis mundi partibus auri pondo millia, tamen non impletur. In qua est generatio, quæ pro dentibus gladios commutat, & ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus, in qua sunt multæ sanguisugæ dicentes, affer, affer, &c. Item Vrspergensis in vita Philip. Imper. Gaude mater

nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ thesaurorum in terra, ut confluant vivi & aggeres nummorum in magna copia. Lætare super iniquitates filiorum hominum, quoniam recompensatione tantorum malorum datur tibi pretium. Simoniam in præsens tangere nolo. Delineata sæpius à nostris est. Pœne quid excidisset. Quando cum rege tuo, Bacchanalia optimum dierum agitabis, ut sportulam amplius accipias, hunc nostrum libellum offerto, & nisi æque ac tu, insaniat, videbit parasitum suum non tantum ineptum proditorem patriæ superstitionis, sed impudentissimum quoque calumniatorem esse: cui quia mendacia per quam familiaria sunt, eorum neque pœnitentia ut ut agitetur, tangitur. Sed quando hoc fiet? Insulsis vestris nugis & mendaciis eruditi apud vos politici, propterea obloqui non possunt aut sustinent, quia vos architecti illorum omni conatu hoc agitis, ne unquam libros nostros inspiciant; utque tanquam angues eos fugiant, ad hæreticæ pravitatis inquisitores veros Nerones ablegatis, quicunq; curiositati indulgere præsumunt. *At* quod manifestius depositæ caussæ indicium esse potest?

CAPVT V.

Orthodoxi non sunt Aëriani. Ipsi Patres & Papani scriptores fatentur quadragesimale jejunium non esse juris divini. Quadragesima non est Apostolica traditio. Non omnes Patres statuunt Quadragesimum esse Apostolicam traditionem. Leges de quadragesima cur superstitionum laquei sint. Quale sit jejunium quod in Quadragesima Papani agitant. Aërius in nullo Concilio est condemnatus quod negaret oblationes pro mortuis esse faciendas. Precatio pro mortuis usitata in primitiva Ecclesia fuit solum testimonium charitatis. Patribus ignotum Purgatorium, teste ipso Navarro. Quid Monica ab Augustino pro se fieri voluerit.

LIbertus noster quinto Epistolæ suæ capite, ea quæ in Crisi de Aërianis & Vigilantio scripserat molestissimo coccysmo repetere

petere instituit: ratio in mundo, quia in lepido libello tota eruditio Pseudo-theologica ab eo dilapidata fuit. Cuculi ubique terrarum κοκκύζουσι, & Battus semper Battus est. Cur vero cum Aërio vapulare debemus? Duplici de caussa. *Primo* quadragesimale jejunium observare nolumus, *quod per orbem terrarum, omni cum studio, celebrari in conventu Catholico,* testatur Augustinus lib. 30. contra Faust. Manich. cap. At quid hoc ad rem? An inde sequitur quadragesimale jejunium esse juris divini? Nemo ex Patribus, nedum Augustinus, hoc unquam docuit, ut fatetur ipse Azorius lib. 7. Instit. Moral. cap. 12. q. 1. ubi expresse testatur opinionem statuentium jejunium hoc juris divini esse, quorundam juniorum esse, qui Patres non bene intellexerint: communem autem Theologorum Scholasticorum opinionem esse, quadragenarium jejunium non jure divino, sed *A*postolica traditione, sive mandato, & jure canonico, & generali Ecclesiæ consuetudine coli & celebrari. Patres autem tantum illud significasse, quod ejusmodi jejunium in veteri & nova scriptura exempla habeat. Fuit autem jejunium hoc usque ad annum quadringentesimum à Christo nato libere observatum quoad conscientiæ obligationem, sive spectes spatium temporis, sive genera ciborum: ut idem *A*ugustinus dicto libro cap. 5. luculentissime docet, ita scribens: Christiani non hæretici, sed Catholici, edomandi corporis caussa, propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non quod illa esse immunda credant, non solum à carnibus, verum à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent, vel semper sicut pauci, vel certis diebus atque temporibus, sicut per quadragesimam fere omnes, quanto magis quisque vel minus, seu voluerit, seu potuerit. Si bone Doctor hæc conciliare possis cum Papanis dogmatis, virum te, & *A*ugustinum nobis adversarium esse statuam. Sed dicit Hieronymus Epist. ad Marcell. *Nos unam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo, jejunamus.* Quid ad rem vero? Si ab *A*postolorum temporibus in omnibus Ecclesiis præcise per quadraginta dies ante Pascha jejunatum fuisset, *A*postolicis traditionibus accenseri posset quadragesima: sed quanta hic libertas & varietas fuerint contra Hieronymum

docet *Azorius* Iesuita libro modo laudato cap. 13. De jejunii quadragenarii, inquit, numero, magna fuit olim apud Christianos varietas, quam etiam Irenæus lib. 5. cap. 25. significat. Quidam, inquit, se unum diem jujunare existimant, alii duos, non pauci plures, multi quadraginta, atque diurnis, & noctnrnis horis diem suum metiuntur: quæ varietas & discrepantia non nostra modò ætate, cœpta est, verum etiam longè ante majores nostros, &c. Et iterum cap. 26. Græci in tempore quadragesimæ, in honorem Resurrectionis, nefas esse dixerunt in Sabbate jejunare. Latini contra, in memoriam luctus Apostolorum jejunium in Sabbato observatunt. Adesdum Chysippe, & ex hac varietate certam Apostolicam traditionem erue? Nec ad rem, quod Hieronymus hoc dicit? Illum & Leonem solum, è Patribus Baronius & Bellarminus invenire potuerunt, qui statuunt quadragesimæ observationem ab Apostolica traditione descendere. Duumviris vero illis opponimus *Augustinum*, & Tertullian. Ille epist. 86. ad Casulanum sic fatur: *Quibus diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum non invenio definitum.* Hic vero lib. de Jejun. Orthodoxos contra Montanum statuisse refert, *indifferenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ, pro temporibus & caussis uniuscunque, Sic & Apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum, & in commune omnibus obeundorum jejuniorum.* Dixeram in Desperatissima Caussa, propterea non obligari nos, ad quadragesimalis jejunii observationem, *quia nolumus esse servi hominum.* Contra quæ sic noster: *Quid sibi vult? Nullius legis humanæ vinculis posse, aut velle teneri? Præpositis & Ecclesiæ nunquam obediendum?* Bona verba! legum vincula perfringere nunquam studui, quid deferre debeam legitimi magistratus, & Ecclesiæ decretis per Dei gratiam scio. Nec tamen ita bliteus sum, ut ignorem, quam vim obligandi ratione conscientiæ, politicæ Ecclesiasticæque leges habeant. Neque directe, neque specialiter conscientiam obligare possunt, quia non immediate ab ipso Deo, sed ab hominibus feruntur. Quid quod leges de quadragesimali jejunio non inter Ecclesiasticas, sed tyrannicas censendæ sunt: non enim latæ aut à Christo, aut ab Apostolis, aut ab Ecclesia Catholica

lica

lica sunt, sed ab Antichristo, qui liberrimam Christianorum in primitiva Ecclesia praxin, anathemate & necessaria lege, ab omnibus observanda, circumscripsit. Huc respiciens, dixi nos, qui per Christum in libertatem sumus asserti, nolle servos hominum fieri: quod & expresse Apostolus prohibet 1. Cor. 7. v. 23. Leges illas *superstitionum laqueos* de causis. 1. sophistæ ut iis authoritatem concilient, Christi exemplum adducunt, nescientes distinguere inter rationem exempli, & individuum actum: nec perpendentes quod Christus semel tantum tota vita, abstinendo per quadraginta dies ab omni omnino cibo, jejunavit. 2. Quod superstitiosorum instar, scenico jejunio Deum demereri student, carnibus exquisitissimos pisces & generosissimum vinum substituendo. Notat hoc ipse Molanus quondam Lovanii Professor Theol. Pract. tract. 3. cap. 11, n. 69. *Meminerint*, inquit, *jejunaturi majores nostros jejunasse à vino & delitiis*. 3. Quia dilationem prandii cœnæve, ad aliquot horas comparare sustinent cum Christi, Eliæ, & Mosis jejunio, habentque pro opere meritorio. Reprehendit hoc idem Molanus lib. 1. de Canonicis cap. 26. *Si ad veterem disciplinam atque rigorem respiciamus, vix ullus hoc tempore jejunare censebitur. Illi enim usque ad vesperam jejunarunt, nos prandemus*. 4. Volui verba doctissimi Pontificii Scriptoris Cassandri usurpare qui lib. Consult. art. 16. postquam de jejuniis locutus esset, hæc tandem subjicit: *Et diffitendum non est, nonnullos fuisse homines superstitiosos, & imperitos, qui hujusmodi Ecclesiæ ritibus, ad salutem hominum factis, ad tyrannidem & conscientiarum laqueum abusi sunt.* Ito jam & nobis Quadragesimam displicere dic, quia salivæ & carnali nostræ concupiscentiæ non allubescit? Nullus Sybarita ita delicatus, qui non cum vobis Apiciis quadragesimam agitare velit. Nam. 1. Papa admittit in omni jejunio cujusvis generis lautitias; unde Bellarm. lib. 2. de bon. operibus cap. 5. §. deinde: *Iam*, inquit, *Ecclesia nostra non constituit regulam de lautitiis*. 2. Pro carnibus, conceduntur exquisitissimi pisces, herbæ, fructus, & præ cæteris vinum. Azor. Jes. lib. 7. Instit. cap. 21. *Certe negari non potest consueta Christianorum jejunia, carnium esu, & vini potu caruisse: at verò jam in more positum est, ut cum piscibus, herbis, fructibus, vino similiter utamur.* Quis sanus vero existimet ejusmodi

ventres *ad passionem Domini, & Resurrectionem per humilitatem carnis venire*, ut libenter suis Adversarius ex detorto Hieronymi loco persuaderet? *Secundo* Aëriani sumus, quia *pro mortuis oblationes non offerimus*. At dic mihi, cur non probatum ivisti è Scriptura hoc dogma, quod hæresios insimulas? aut cur non ostensum ivisti Aërium, quia hoc negavit, in Concilio aliquo Oecumenico hæresios notatum fuisse? Utrumque enim à tua serenitate Desperatissima Caussa cap. 35. flagitaverat. Sed hæ tuæ artes dissimulare nostras responsiones, & cum Batto perpetuo βαττολογεῖν: quod propterea secure facere potes, quia caudatis catholicis haud magis nostra scripta, ac bidental aliquod contrectare licet. Sed expendamus coccysmos? *Apud Augustinum cap. 1. de Cura pro mortuis, ait Paulinus, universa pro defunctis Ecclesia supplicare consuevit. Unde Augustinus alibi* (epist. 64.) *tanquam de re minime ambigua: Oblationes, inquit, pro spiritibus dormientium verè aliquid adjuvare credendum est.* Et iterum; *Quam commemorationem & curam defunctorum, illis Patrum seculis, fuisse censes? &c. Ubi ergo tantisper divertunt? In Averno, an in Charonia Fossa, Acheronte, an campis Elysiis? Aut certe urbanius vocabulum ex suis fabulis quærat poëta Daventriensis, nos rustici Purgatorium vocamus.* O profundam ignorantiam! Unum ex antiquis Patribus si Doctor evolvisset, ignorare non posset, Patres qui vixerunt post ducentesimum à Christo nato annum sæpe quidem meminisse orationum pro defunctis, nec tamen credidisse interea temporis animas eorum in fabuloso purgatorii carcere custodiri. Scivit hoc vir in Patribus exercitatissimus Cassander. Sic enim scribit lib. lib. Consult. art. 21. Usque ad hodiernum diem, nunquam in Ecclesia veteri statutum fuit, quomodo defunctorum animis preces nostræ prodesse possint: sed fuisse merum testimonium charitatis nostræ erga defunctos, & immortalitatis animæ, & corporum resurrectionis futuræ. Verissime. Precatio fuit solum testimonium charitatis. Liquet ex Ambrosio, orat funebri pro Satyro. Cum ante enim dixisset; *Eum intrasse in regnum cœlorum, quoniam crediderat verbo Dei*: subjicit hanc orationem: *Tibi nunc omnipotens Deus innoxiam commendo animam, tibi hostiam meam offero: cape propitius ac serenus fra-*

ternum munus, sacrificium sacerdotis. Sic Augustin. lib. 9. Conf. cap. 13. oraturus pro matre Monica defuncta, subjicit tandem: *Credo, quod jam feceris quæ rogo, sed voluntaria oris mei approba Domine.* Si potes concilia hæc cum tuo purgatorio? Ne vero existimes Patres precibus his Paganismum olentibus mortuis quam gratiam mereri voluisse, audi Origenem lib. 3. in Iob. In fide, inquit, morientium devote memoriam agimus, tam illorum refrigerium gaudentes, quam etiam nobis piam consummationem in fide postulantes. Preces enim hæ erant gratulatoriæ, inservientes præ cæteris vivorum institutioni, ut eodem, scilicet, omni conatu contenderent, quô alii jam pervenerant. Quam faverint vero ante sexcentesimum annum Purgatorio Patres, Augnstinus testis esse potest. Sic enim ait lib. 1. de Peccat. merit. & remiss. cap. 28. Neque enim est ullus ulli medius locus, ut possit esse, nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. Item serm. 18. de verbis Apostoli: Duæ sunt habitationes, una in igne æterno, altera in regno æterno. Et serm. 232. adversus Ebrietatem: Nemo se decipiat, Fratres, duo enim sunt loca, & tertius non est ullus. Qui cum Christo regnare non meruit, cum diabolo absque dubitatione ulla peribit. Ad hoc Hypognost. lib. 5. Primum locum fides catholica divina authoritate regnum credit esse cœlorum, unde non baptizatus excipitur. Secundum gehennam, ubi omnis Apostata, vel à Christi fide alienus æterna supplicia experietur. Tertium penitus ignoramus, imo nec esse in scripturis sanctis invenimus. Purgatorium hoc ignovit quoque Cyprianus, sic enim advers. demetriadem inquit: Ævi temporalis fine completo, ad æternæ vel mortis vel immortalitatis hospitia dividimur. Item Epiphanius, qui ita lib. 2. hæres. hær. 59. In seculo futuro post mortem hominis nullum est adjumentum jejunii, nulla vocatio pœnitentiæ, nulla eleemosynæ exhibitio. Tertullianus & Nyssenus tam remoti ab igni ejus sunt, ut ne crediderint quidem animam à corpore separatam ab eo pati posse, ut ille expresse ostendit Apologet. cap. 48. hic vero or. 3. de Resurr. Christi. Et cur Patres ad suffragium voco. Sufficit unius Navarri testimonium, qui ita Comment. de Iubilæo p. 545. Nemo jam dubitat Orthodoxus an purgatorium sit, de quo

tamen

tamen apud priscos nulla, vel quam rarissima mentio. Idem ingenue ante confessus erat Cardinalis Roffensis teste Polidor. Virgil. lib. 8. de Inventor. rerum cap. 1. Quantum vero ad Monicam, illa, teste August. lib. 9. Confess. cap. 13. Tantummodo memoriam sui ad altare fieri desideravit. Sed quis colligat inde propterea eam hoc fieri voluisse, quod secundum animam moratura in purgatorio esset. Diximus jam quales in primitiva Ecclesia preces pro mortuis concipi consueverint. Ad hoc solita quoque erat Ecclesia illa celebrare memoriam Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Mariæ virginis, Martyrum, Confessorum, &c. quorum animas nequaquam credebat in purgatorio esse. Nec ut somniant Papani, anicula pro se in purgatorio hærente sacrificium missæ offerri voluit, credebat enim, quia in vera fide discedebat, se mox ab excessu suo in cœlis fore. Sic dein enim Augustinus, *Ad cujus pretii nostri sacramentum ligavit ancilla tua animam suam vinculo fidei*; clare ostendens se ante per victimam nihil aliud intellexisse, quam eam, quæ delet chirographum nobis contrarium, cujus victimæ Eucharistia sacramentum est.

CAPVT VI.

Orthodoxis nullum commercium cum Vigilantio. Illi Papani Scriptores grandem injuriam faciunt. Quorum criminum Hieronymus Vigilantium arguat. Hieronymus eum maxime ut calumniatorem exagitat. Orthodoxi reliquias honorant. Hieronymus Vigilantium non reprehendit quod negaret sanctos esse invocandos, sed quod hoc orthodoxis exprobraret.

AB Ærio ad Vigilantium rapimur. Illius consortes indicæ Adversario sumus, quia cum eo negamus *Martyrum sepulcra veneranda esse*: amplius secundum Bellarminum & Iansenium, quia negamus *Sanctos invocandos esse*. Dixeram in Desperatissima Caussa cap. 48. Ex mente Villavincentii dominicani monachi (quod

(quod dissimulat Doctor) Vigilantio insignem injuriam fieri à Papanis. Quia verò hoc concoquere non potuit existimatque me injurium esse in Hieronymum, lubet paululum circa Vigilantium morari, ut stupenda Papanorum ignorantia & sycophantia patefiant. Hactenus plerique ex illis docuerunt propterea Hieronymum in Vigilantium stylum strinxisse, quod negaret aut sanctos demortuos aut eorum reliquias esse adorandas sed falsi sunt. Hieronymus Vigilantium lib. contra eum scripto duplicis tantummodo erroris & calumniæ redarguit. Prior error erat hic, quod negaret sanctos demortuos pro viventibus orare. Hæc enim ejus apud Hieron l.d. verba: *Postquam mortui sumus, dixit, nullius pro alio exaudienda est oratio.* Ab hoc autem errore, judice ipso Bellarmino lib. de Beat. sanct. cap. 15. immunes sumus, quia existimamus in genere demortuos sanctos pro Ecclesia militante orare. Secundo in eo errabat Vigilantius cum Eunomianis, quod crederet fas non esse basilicas Apostolorum & Martyrum ingredi. Sic enim de eo ipse Hieronym. Comment. in cap. 65. Es. *Hæretici nuper sub magistro cerebroso* (sic vocatur Vigilantius) *in Gallia pullularunt, qui basilicas Martyrum declinantes, nos qui ibi orationis ergo ex more celebramus, quasi immundos fugiunt.* Sed & nos ab hoc errore integri sumus. Ut duplicis autem erroris, sic & calumniæ judice Hieronymo reus erat Vigilantius. Primo enim exprobrabat Ecclesiæ Catholicæ quod Sanctorum reliquias adoraret. Sic enim apud Hieronymum; Quid necesse est tanto honore non solum honorare, sed etiam adorare illud nescio quid, quod in vasculo transferendo colis? Et iterum; Pulvisculum in vasculo circumductum osculantes adorant. Hoc quidem objiciebat Vigilantius, sed an propterea ut Hæreticum eum objurgat Hieronymus? nequaquam, sed ut *calumniatorem* exagitat. Hæc enim ejus verba: *Quis, ô insanum caput, aliquando martyres adoravit! quis hominem putavit Deum!* Loquitur vero de adoratione ea, qua reliquias honorare solent Papani, neque enim (ut persuaderet libenter incautis noster) scivit ridiculam papanorum differentiam inter cultum λατρείας & δουλείας. Hinc & in Epistola ad Riparium; *Nos non dico martyrum reliquias, sed ne Solem quidem & Lunam, non Angelos,*

 non

non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen quod nominatur, colimus & adoramus. Concilientur hæc cum doctrina & praxi Papana? Quod vero eadem Epiſtola dicit, Eccleſiam Catholicam *honoraſſe reliquias*, ambabus ulnis amplectimur. Honoramus enim eas, quia è terra non eruimus, ſed ſecundum Bellarminum eodem honore proſequimur, qui mortuis debetur. Sic enim loquitur Cardinalis lib. 2. de Purgat. cap. ult. agens de corporum ſepultura: *Conſulitur honori eorum, adhuc in hominum memoriis viventium, non enim caret ignominia quadam, quod fœditas noſtri corporis, aliorum conſpectibus pateat.* Ut nihil jam dicam de Gregorio Magno, à quo in Deſperatiſſima Cauſſa citato, quia redarguitur cum omnibus ſuis Doctor, ad parteis eum à nobis vocatum fuiſſe, callide diſſimulat. Sed iterum ad Vigilantium. Non redarguitur ſecundo ab Hieronymo, quod negatet ſanctos eſſe invocandos, quamvis ſic diceret: Ergo cineres ſuos amant animæ martyrum, ſemperque præſentes ſunt, ne forte ſi quis precator advenerit, abſentes audire non poſſint. Sed quod illud per calumniam exprobraret Eccleſiæ Catholicæ: ultro enim ei concedit ferviſſimus Patrum; Sanctos ne ut amicos quidem Dei, ne ut comprecatores ad Deum invocandos eſſe. Eoque in hoc capite calumniæ tantum, non autem hæreſis reus fuit Vigilantius, unde & Hieronymus Eunomio eum confert l. d. verba ejus hæc ſunt: O portentum in ultimas terras deportændum! Rides de reliquiis martyrum? & cum authore hujus hæreſeos Eunomio, Eccleſiis Chriſti calumniam ſtruis? nec tali ſocietate terreris, ut eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Eccleſiam loquitur? Hæc pro Vigilantio dicta ſint, non in gratiam Lovanienſis Dormitantii, ſed eorum, qui Bellarmini, Lindani, aliorumve doctiorum pontificiorum ſcripta legere ſoliti, ex iis errores circa Vigilantium imbibunt. Quicunque verò inter Papanos aſſertam tantorum heroum exiſtimationem cupitis volutate Hieronymi contra Vigilantium tractatus, & ſi aliud quid eruere poſſitis me monete, docete, & redarguite.

CAPUT.

CAPUT VII.

Iesuitæ unius libri Canonici authoritatem ex altero probant. Deteguntur adversarii sycophantiæ & ineptiæ. Quando libri scripturæ ex aliis libris probantur non datur progressus in infinitum. Petrus Apostolus rectè testimonium perhibet de Pauli Epistolis. Rectè in Desperatissima Caussa citatus fuit Eusebius. Quanta sit scripturæ efficacia. Ea percellere potest animos atheorum; & distinguit Scripta Canonica à quibusvis aliis Scripturis humanis. Libri Canonici habent in se κριτήρια per quæ possunt distingui à libris Apocryphis. Adversarius injuriam facit Ambrosio neque quartum Esdræ amplexus fuit ut protocanonicum.

POst capita in quibus hæresios ab Adversario accusamur, sequitur tandem Jansenii Apologia: cujus Libertinas quæstiones XXXIII. quia indignas Episcopo esse, tum specialibus rationibus in Desperatissima Caussa cap. XLVII. tam dilucide, ut simplicissimi etiam è Papanis animadvertere possent, ostendi, omnia agit Fromondus ne quis hoc credat. Verbis cum eo velitari nolo, judices doctiores quosque in Papatu, modo candorem non exsuerint, libentissime in hac caussa sedere patior: certus neminem unquam pro Janssenio arma induiturum, aut responsiones nostras sigillatim examinaturum esse. Nec moveor, quod Doctor *ausit omnia sua in pignus & periculum coram quocunque erudito, in alteram partem non pertinace deponere*: lubens enim conditionem hanc accipio, & ex animo voveo, ut coram eruditis cum quo è magnis illis Magistris Lovaniensibus de his controversiis ad Dei gloriam disputare possim: Sed quia Disputatorum ineptissimus λόγοις me obtundi posse frustra speravit, instar Plautini militis in sterquilinio suo tam feroculus est. Existimationi suæ si consultum velit, à mendaciis, sycophantiis, & ineptiis (per indicem postea recensendis) ut ego coram toto mundo ingenue jam facio, se expurget & liberet; aut si hoc facere nolit, Jesuitas aut Lovanienses, aut

Colonienses tam putidarum ineptiarum fautores & approbatores laudet. Sed ad rem. Examinaturus nostras responsiones ad Scepticas Janssenii quæstiones, omnia à nobis dicta dissimulat, quia scit Papanos scripta nostra non audere attingere, nec sycophantias ineptias, calumniasque suas subodoraturos illos esse, qui ut oracula, citra examen ad Lydium scripturæ lapidem, amplecti debent, quæcunque occurrunt in libris, ab indoctissimis ut plurimum Censoribus, approbatis. Hinc paucula tantummodo vellicat, & per intolerandam sycophantiam exagitat, quo risum hominibus sibi similibus movere queat. Quæsiverat Janssenius è qua Scriptura constaret, errasse in fide Marcionem, quia rejiciebat Epistolas ad Hebræos, ad Titum, & utramque ad Timotheum, item Ebionæos, qui contendebant nullas Epistolas Pauli esse recipiendas, ut Canonicas. Respondi. E Petri Epistola posteriore cap. 3. liquido contra Ebionæos constare, aliquas Epistolas Pauli esse canonicas (falsus enim est cum persuadere laborat ignavo incautoque lectori, me inde intulisse omnes Epistolas Paulinas esse canonicæ authoritatis) nec necessum esse, ut ad asylum traditionum confugiamus. Quia vero augurabar scepticum adversarium responsurum esse, *æque se circa Petrum ac Paulum fluctuare*: per occupationem occurri, telumque antequam amentaret, extorsi, traditionisque tantum suadentis (dissimulante hic Doctore) fallaciam, argumento & authoritate ipsius Bellarmini confirmavi. Hinc pro ingenio suo tantum verbis ineptit: Non quæritur, An Apostoli Petri authoritas communis famæ authoritatem anteire, aut sequi debeat; sed an sit re vera Petrus Apostolus, qui Epistolam illam scripsit. Ergo dat, Apostolum Apostolo & scriptorem Canonicum scriptori Canonico testimonium posse perhibere, si constet eum Apostolum, aut scriptorem Canonicum fuisse. Quod non ipse solum fateri compellitur, verum doctissimi quoque Iesuitæ, qui librorum Canonicorum authoritatem ex aliis libris Canonicis sæpe probare instituunt. Ita Pineda præf. ad cap. 1. Jobi, probat verissimam esse Jobi historiam ex Ezech. 14. v. 14 Jac. 5. v. 11. cui addit testimonium Tobiæ cap. 2. quod eum haberet pro Scriptore Canonico. Item Cornelius à Lapide in Præf. Comment.

ment. in Epistolam ad Hebræos, ostendit epistolæ illius authorem esse Paulum, ex 2. Epist. Petri cap. 3. v. 15. At licet Papanis, talibus testimoniis uti, non vero orthodoxis, si credimus Liberto nostro sic ineptienti: *Si unde constiterit, Apostolicam Scripturam esse (veluti nobis Catholicis, non ex ulla Scriptura, sed traditione agrapha Ecclesiæ constat) nemo omni famæ communi, etiam certissimæ, præferendam ambigit.* At cur non Accio idem quod Titio jus conceditur, Orthodoxisque eodem argumento uti licet; credunt enim libros Canonicos à Canonicis authoribus esse scriptos, quia eorum canonica authoritas cordibus fidelium obsignatur per internum Spiritus sancti testimonium, Ecclesia ut teste secundario, testimonio suo idem suadente. Dic vero, Liberte, qui existimas ex una traditione Ecclesiæ, constare quinam libri scripturæ sint Canonici, unde tibi constet primum receptæ traditionis authorem non fuisse impostorem, mendacem, aut credulum quem Papiam: lubet insanire cum insaniente; qui primo dixit Paulum esse authorem Epistolæ, quæ sub ejus nomine ad Romanos scripta circumfertur, ipse forte deceptus fuit, aut pro Apostolica traditione incautis obtrusit quid, cujus ipse incertus erat. Quis æstuantem traditionarium expediet? Laboranti ubi succurreris, Doctor, videbis quibus nugis innocuas chartas conspurcaveris. At tempus est ut ab adventantis Achillis conspectu fugiamus: Omnes, inquit, vestri conatus, asserendi Scripturæ minus authoritatem ex alterius testimonio, ut Pauli ex Petro, uno hoc argumento eliduntur: Quod non sit major, aut evidentior auctoritas Scripturæ testantis, quam ejus, cui perhibetur testimonium. Miror vero doctissimos Jesuitarum, ut modo ostendi, eodem hoc argumento uti. Nec sic datur progressus in infinitum, ut vult scepticus. Nam ipsi Pontificii & inter eos Stapletanus, concedunt, licere libros priores confirmare è posterioribus, & valere tale argumentum apud eum, qui non totam scripturam, sed illius aliquam partem negat: talis autem dictum factum potest redargui. Si enim neget Novum Testamentum, redarguetur è Veteri, si vetus, è Novo; sic passim ipsi Papani Doctores (longum foret eos omnes ad suffragia cogere) procedunt, & quia certa est ea probatio, non abit in infinitum.

Ad hoc partes pleræque confirmantur ex se invicem. Prophetæ testantur verbum Domini ad se factum esse, Paulus se Apostolum Christi non ab hominibus, neque per homines vocat. At quis nisi Atheus, talia testimonia incerta esse clamet? Pergit: *Petrus centies testatur, scriptas quasdam Epistolas, à charissimo fratre suo Paulo; unde tibi constat, Petrum esse, qui in Epistola illa de Paulo loquitur? Quid si enim alius quispiam Epistolæ suæ, ad famam & auctoritatem præfixerit S. Petri nomen?* Responde mihi, Doctor, si similem quæstionem de primo authore alicujus traditionis moveam, & scepticæ tuæ traditionis solutionem habebis. Consule criticos, unde colligant hunc illumve librum, ab hoc aut illo authore esse contextum, teque cœcum, omnibusque Pyrrhonicis absurdiorem esse, quicunque sensu communi non carent, judicabunt. Dicis, vobis καθολικωτάτοις scilicet constare sacras literas Deum authorem habere, quia agnoscitis Traditionem: sed cur idem, non possit exploratum esse ei, qui Deum omnipotentem esse, & conservare verbum suum posse & velle, novit: quasi ita apud se argumentetur: Deus, qui omnia potest, voluntatem suam illis revelavit, quos ad scribendum excitavit, ut omnibus fidelibus de ea constaret, ergo avertit quoque plagiariorum & falsariorum manus, integramque eam Scripturam ad hodiernum usque diem servavit primaque verba alicujus libri Canonici continentia nomen scriptoris, æque sunt authentica, ac reliqua, quibus Dei mysteria homini panduntur; sibi aliisque longe efficacius suadebit divinorum eloquiorum præstantiam, quam si sic rationetur: Omnes homines, aut plerique, saltem Christiani, edocti à traditione testantur, librum hunc aut illum divinæ authoritatis esse, & scriptum ab authore canonico, ergo citra hæsitantiam illud credere debeo: quamvis experientia doceat famam ficti æque ac veri tenacem esse, & in libro Canonico doceatur, *omnem hominem mendacem esse* fidemque non humana argutatio, sed solus Deus ingenerare possit. Si dubites, Doctor, utroque ariete oppugnato athei alicujus animum, & uter sit robustior facile disces. Pudet vero me tui, quando dicis: *Quid si enim alius quispiam epistolæ suæ ad famam & authoritatem præfixerit S. Petri nomen?*

Itane

Itane cenſes, Scripturæ authorem Deum, non ſollicitum eſſe de ea conſervanda, omnibuſque in eam graſſandi habenas laxare? φεῦ ἀθεότητος! Poſterioris epiſtolæ Petri, Petrum Apoſtolum authorem eſſe, cooperante Deo per Spiritum ſuum, diſco ex primis illius verbis. Sic enim in veſtibulo lego: *Simeon Petrus ſervus & Apoſtolus Ieſu Chriſti*, &c. Verba autem illa non infarta eſſe à falſa manu, ſed præfixa ab ipſo Petro, inde certo mihi conſtat: quia author hujus Epiſtolæ cap. 1. v. 14. dicit ſe brevi ex prædeſtinatione Domini Jeſu Chriſti tabernaculum depoſiturum: hoc vero Petro prædixerat Chriſtus, Joh. 21. v. 18. ad hoc eodem capite, meminit Chriſti gloriæ, patefactæ in monte, quam ipſe, cum Joanne & Jacobo Apoſtolis viderat, fidem faciente Matthæo cap. 17. Rogo vero te, certam an incertam probationem hanc eſſe cenſeas? Certam ſi eſſe concedas, cur, quod ſequentibus verbis innuere videris, excipies contra Matthæum & Joannem? incertam ſi ſtatuas, dic mihi, cur multi ex Doctoribus veſtris ita argumententur; item quot paraſangis à blaſphemo atheo te diſtare exiſtimes? Accedo ad Euſebii locum, quem fide haut bona à me productum eſſe, libenter ſociis ſuis Doctor perſuaderet. In eum digitum intenderam, ut Janſenius cognoſceret, quænam veræ notæ libri Canonici ſint. In quibuſdam autem Euſebii editionibus, loco, de quo inter nos controverſia, præfigitur cap. 21. libri 3. Hiſtor. Eccl. in aliis, (in quas incidit Fromondus) cap. 19. ut facile is cognoſcet, cui libuerit diverſas editiones, præ cæteris Latinas, conferre. Ridiculum vero, me hoc nomine ab homine inepto vapulare; æque inſulſum, quod falſi arguor, quia ſcripſi Euſebium, qui diſputat de κριτηρίοις convenientibus omnibus libris Canonicis, verbi cauſſa, agere etiam de authoritate Epiſtolæ primæ Joannis. Cur enim non liceret, ea quæ de omnibus libris dicuntur, in gratiam Lectoris certo alicui applicare? Ingenium vero prodit Cretenſium popularis, quando lectori incauto narrat, me in Deſperatiſſima cauſſa ſcripſiſſe, *In primis Euſebium ibi diſputare de auctoritate Epiſtolæ primæ Ioannis*: voculam enim *inprimis*, ne oculeus quidem Argus ibi viderit. Sed ad locum ipſum: In eo, fatente ipſo Fromondo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptor tria tradit κριτήριο,

τήρια, è quibus, præsertim simul sumptis libri Canonici citra difficultatem ab apocryphis distingui possunt; φράσιν, γνώμην, & προαίρεσιν. Controvertitur tantummodo quid de traditione existimaverit Eusebius: non nego, si fidem adhibeamus Christophorsoni versioni citatæ ab Adversario, aliquid videri tribuisse. at non è vitiosa versione, sed è Græco textu judicium fieri debet. Ita autem Græca sonant: Ἀναγκαίως δὲ καὶ τούτων τὸν κατάλογον πεποιήμεθα διακρίνοντες τάς τε κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν ἀληθεῖς καὶ ἀπλάστους καὶ ἀνωμολογημένας γραφὰς, καὶ τὰς ἄλλως παρὰ ταύτας οὐκ ἐνδιαθήκους μὲν ἀλλὰ καὶ ἀντιλεγομένας, ὅμως δὲ παρὰ πλείστοις τῶν ἐκκλησιαστικῶν γινωσκομένας, ἵν' εἰδέναι ἔχοιμεν, αὐτάς τε ταύτας, καὶ τὰς ὀνόματι τῶν Ἀποστόλων πρὸς τῶν αἱρετικῶν προφερομένας. Quæ ita reddi debent: Horum enumerationem necessario fecimus, distinguentes ea scripta, quæ juxta traditionem Ecclesiasticam vera sunt, nec ficta, & in confesso, ab aliis quæ quanquam non sunt in Canone, quin potius controvertuntur, nihilominus plurimis Ecclesiasticis viris cognita sunt: ut possimus discernere tum hæc ipsa, tum ea, quæ Apostolorum nomine ab hæreticis obtruduntur. In quibus Latinæ reddendis cum Christophorsono errat Doctor noster: discerpendo illud διακρίνοντες à verbis præcedentibus τὸν κατάλογον πεποιήμεθα, & referendo ad sequentia, ἵνα εἰδέναι ἔχοιμεν Neque enim Eusebius dicere vult ex traditione Ecclesiastica tanquam nota certissima discerni posse libros Canonicos ab Apocryphis: sed ex sua numeratione, quæ in præcedentibus verbis occurrit, facile in posterum libros eos distinctum iri. κριτήρια enim tua tantum agnoscit, supra enumerata: quibus quarto loco à nobis in Desperatissima Caussa *traditio*, (quam, si debito modo adhibeatur, admittimus) fuit addita. Si quid Eusebio affingam, aut affingere voluerim, non renuo, quin ab universo orbe sycophanta habear. Doctoris nostri clamoribus haut moveor. Dixeram alicubi, *atheum quem, aut Gentilem si Scriptura ei proponatur, Deo gloriam daturum, & Scripturæ efficaciam confessurum esse, si velit eam legere, meditari, & sibi applicare.* Quod quia noster secundum solitam malitiam detorsit addidit hoc epiphonema; *Huc nempe tandem stultissimæ caussæ desperatio venit, ut*

nisi

niſi in ſenſum communem impingat, pertinaciam ſuam non poſſit defendere. Sed ſi ἀθεότητος antiſtes ſciviſſet in ſcriptura omnes ante converſionem atheos, *Deique expertes* vocari (nominatim Fph. 2 v.12.) & efficax eſſe in eorum animis Dei verbum, ſi illud legere, meditari & ſibi applicare velint (hæc enim ego pag.233. Deſper. Cauſſ. addidi) ſtylum ineptientem, imo profanum, ſufflaminaſſet. De Scripruræ efficacia audiat iterum Lactantium, qui ita lib.3. Divin. Inſtit. cap.26. Dei autem præcepta, quia & ſimplicia & vera ſunt, quantum valeant in animis hominum quoitdiana experientia demonſtrat. Da mihi virum, qui ſit iracundus, maledicus, effrænatus, pauciſſimis Dei verbis, tam placidum quam ovem reddam: da cupidum, avarum, tenacem, jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam ſuam propriis manibus largientem: da timidum doloris ac mortis, jam cruces & ignes, & pericula, & taurum contemnet: da libidinoſum, adulterum, ganeonem, jam ſobrium, caſtum, continentem videbis: da crudelem, & ſanguinis appetentem, jam in veram clementiam furor ille mutabitur: da injuſtum, inſipientem peccatorem, continuo & æquus & prudens, & innocens erit, uno enim lavacro malitia omnis abolebitur, tanta divinæ ſapientiæ vis eſt, ut in hominis pectus infuſa, matrem delictorum ſtultitiam, uno ſimul impetu expellat, ad quod efficiendum non mercede, non libris, non lucubrationibus opus eſt: gratis iſta fiunt, facilè, citò, modo pateant aures & pectus ſapientiam ſitiat. Hactenus Lactantius pro nobis: ut enim ille de inconverſis locutus eſt, ſic & nos, vocando eos cum ſcriptura, ἀθέους; quibus ſecundum Spiritus ſancti ſtylum accenſendi ſunt, quicunque peccatum aliquod in delitiis habent & cum eo idololatriam exercent. Eph. 5. v. 5. Si vero exemplum noſter urgeat, adeat Joſephum lib.2. Antiq. Judaicarum c. 1. & inveniet in Cyro. quod conſiderans Eſpenſæus Comment. in 3 cap. Ep ad Titum, ſic loquitur: *Cyrum Regem ex lectione Eſaiæ teſtis eſt Ioſephus) admiratum Scripturæ divinitatem, correptum fuiſſe ſtudio exequendi ea, quæ legerat, ac Deum Iſraël adoraſſe.* Sed pergit: *Proponite atheis volumen Scripturæ ſacræ, & periclitamini, an ullum ejus afflatum confiteantur, aut ſentiant.* Athei, aliqui de quibus nempe locutus ſum, ſentient Scripturæ

vim si ad eam adferre possint reverentiam, Deoque cooperari placeat. Quod ego in antecedentibus verbis aperte supposui. Non ego sic tantum censeo, sed etiam Origenes, qui ita lib. 4. de Princip. cap. 1. *Sed si quis, cum omni studio ac reverentia qua dignum est, prophetica dicta consideret, in eo ipso dum legit, & diligentius intuetur certum est quod aliquo diviniore spiramine mentem sensumque pulsatus, agnoscet non humanitus esse prolatos quos legit, sed esse* Dei *sermones, & ex semetipso sentiet, non humana arte, nec mortali eloquio, sed divino (ut ita dixerim) cothurno libros esse conscriptos*. Animadverte adversarie Scripturarum. At progrediamur: *Nonne*, inquit, *tot hodie Athei sacratissimos istos codices inspiciunt, nec tamen sanctius inde commoventur, quam ad risum*? Quid tum? Libanius, Julianus, Doctor Lovaniensis, similesque sanniones non moveantur: sufficit aliquos ex iis, de quibus locutus sum, si adferant studium ac diligentiam, commoveri? Addit: *In thymo quippe etiam, violis, & rosis venenum suum aranei inveniant. Si quæ verò inde bonæ mentis apiculæ dulcedinem & mel spiritale sugunt, nonne ex SS. Patrum scriptis, & præsertim Augustini etiam faciunt? Quo igitur satis evidenti discrimine, tot divinos sermones, & Tractatus Augustini, aut aureum Thomæ nostri Kempensis libellum, à sacra Scriptura distinxeris?* Siccine existimas, Theologiæ Doctor? alia etenim sententia, sedet omnibus illis, qui ultra sacrarum literarum corticem ad interiorem illius nucleum progressi sunt. Quæ blasphemia, si hæc non est? An ullis scriptis humanis ea efficacia, quæ Scripturis Veteris ac Novi testamenti, inest? An qæ discuntur ex Augustino & Thoma Kempensi salutaria, non multo abundantius de Scriptura discuntur? Vah Christianum sic existimare! Alia ipsius Augustini mens lib. 2. de Doctr. Christ cap. 42. *Quicquid homo*, inquit, *extra* (Scripturas) *didicerit, si noxium est ibi damnatur: si utile est ibi invenitur: & cum ibi quisque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea, quæ nuspiam alibi sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur.* Inde idem ep. 8. ad Hieronymum: *Illis solis Scripturis*, inquit, *quæ jam Canonicæ appellantur, didici hunc honorem habere, ut nullum illorum scriptorum virasse putem. Alios ita lego, ut quantalibet doctrina*

& san-

& sanctitate polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita sense-runt, sed quia mihi per illos authores canonicos vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuaserunt. Quibus enim scriptis ea vis & ἐνέργεια inest, quam in sacris literis animadvertit quoque Gregorius de Valentia Jesuita iterum hic advocandus. Arrige aures, Scripturarum hostis & blasphemias contra eas eructare desine. Ita autem ille Analys. fidei lib. 1. cap. 15. Cum multa sunt, in ipsa Christiana doctrina, quæ ipsa per se fidem illi atque authoritatem conciliare possunt; tamen mihi maximum illud esse videtur (ut à Clemente Alexandrino, & à Lactantio, & ab aliis est observatum) quod suâ nescio quâ admirabili vi, divine prorsus hominum animos afficit, atque ad virtutem impellit. Est scripta verbis simplicibus, & caret fere artificio orationis & ornamentis. Nihilominus ita vehementer lectoris mentem commovet, ut nulla alia doctrina. Quod argumento est illius authoritatem, omnino divinam esse, non humanam; hæc enim sine verborum arte, & orationis quasi lenociniis, ad efficiendum animorum motum non valet. Non miror vero tibi Scripturas sordere: sordidæ ac ineptæ quoque visæ sunt Angelo Politiano, (quem æque religiosum fuisse, judicabunt omnes qui Libertinica tua scripta legent) cum diceret Davidis psalmos, nequaquam accedere ad Pindaricæ lyræ majestatem. Sed evidentiorem adhuc Atheismi notam Lectori proponis, quando dein dicis: *Cum præsertim non omnes Canonicæ Scripturæ parem divinitatis halitum expirent.* Quid olent ergo? num humanum Spiritum? Ita quidam è vestris existimare videntur, quando eas cum Æsopi fabulis componunt. (Vide Hosium contra Brentium, ubi blasphemam illam vocem eructatam à Wolfgango Hermanno defendere non dubitat.) Nec alia opinio fuit Serarii Jesuitæ, sic enim prol. 10. quæst. 1. loquitur: *Scriptura ad caussarum auditionem surda, ad examen stupida, ad proprie dictum sententiæ dictionem muta, vicaria Dei judicis inepta.* Sed forte dices te de styli diversitate loqui; (libenter enim innocentissimum Calvinum consortem tuarum blasphemarum ineptiarum faceres) at quid ad rem, si diverso stylo, diverso tempore scriptores θεόπνευστοι eloquia Dei contexuerint? Falsum præsupponis,

per totam hanc velitationem aut præ ignorantia, aut præ malitia. Non enim è solo stylo quis nostrum unquam docuit, Canonicos libros ab Apocryphis distinguendos esse: plura κριτήρια conjungimus, nec aliud (quamvis tu incautis hoc persuasum velis) per totam Desperatissimam Caussam docui: stylo semper plures notas conjunxi. Progrediamur vero in hoc Augiæ stabulo expurgando. Sic dein noster: *Cur olim deinde, non inter Atheos solum, sed inter sanctos Patres, de libro Pastoris, Apocalypsi Petri, Epistola Barnabæ, aliisque apocryphis ita dubitatum; nisi quia inter humanas, & Spiritus sancti Scripturas nullum aperte discerniculum cernerent?* Quasi vero Sol tenebras momento, & non successive discutere soleat? Sufficit Patres è φράσει, γνώμῃ, & προαιρέσει librorum Canonicorum collegisse, eos distinguendos esse ab apocryphis. Quemadmodum Serapion apud Euseb. lib. 6. cap. 10. propterea Euangelium Petri ut apocryphum rejecit, quod in eo essent quædam διεσταλμένα sive discrepantia à verbis Christi. Nec aliter alii Patres progressi fuerunt, ut expresse docet idem Eusebius loco hoc capite sæpius laudato. Verba ejus integra hæc sunt: *Facile quidam non istas modo Scripturas, sed eas etiam quæ Apostolorum nomine circumferuntur, possimus discernere: sive euangelia. Petri, Thomæ, Mathiæ, aliorumve nomine falso inscripta: sive acta, quæ Andreæ, Ioannis, & aliorum Apostolorum nomine Veteratorie donata sunt: quas quidem Scripturas nemo ex Scriptoribus Ecclesiasticis, qui contiuuata temporum successione ab Apostolis huc usque vixerunt, usquam in suis scriptis in memoriam redigere dignatus est. Quin etiam dictionis & loquendi forma, longe à stylo & dicendi consuetudine Apostolorum discrepat. Sententia porro & institutum eorum quæ in libris traduntur (quod toto prope cœlo, ut dicitur, à vero orthodoxoque Scripturæ sensu & opinione aberrat) planè perspicueque ostendit ea callida solum hæreticorum esse commenta.* Hæc Eusebius. Ne Eurybates vero clamet illum contra me testari, quod expresse dicat, *Scripturas Canonicas à nullo ex Scriptoribus Ecclesiasticis, qui continuata temporum successione ab Apostolis vixerunt, in scriptis commemorari*: notet, quod toties in Desperatis. Caussa dixi, nos aliquid etiam deferre Ecclesiæ testimonio in asserenda sacræ Scripturæ authoritate, interim cum Eusebio do-

cere in ea ipsa κριτήρια inveniri, nec necessum esse infallibilem illius authoritatem ab una Ecclesia arcessere: cujus testimonium si quis millies Turcæ alicui opponeret, tantundem efficeret ac si lapidi loqueretur. Divinæ scientiæ principia divinitus cognoscuntur: quando Deo enim placet fidem infundere audienti, *sermo in eo agit*. 1. Thess. 2. v. 13. & *Euangelium illi est potentia Dei ad salutem*. Rom. 1. v. 16. Ecclesiæ testimonium, Spiritu sancto intus non testante, per omnia inefficax: insita autem Scripturæ κριτήεια, de quibus disputamus, quamvis, nisi hic Doctor accedat, otiosa quoq; & ἀργὰ sint infideli; sunt tamē adjuncta inseparabiliter Dei verbo unita, quæ, etiamsi omnes homines dissentirent & ad Gentilismum aut Turcismū prolaberentur, ab eo separari non possunt: tam evidenter vero Scripturæ majestatem, seposito Ecclesiæ testimonio quod alias non rejiciendum, asserunt, ut eā quoq; ab Alcorano, imo quibusvis scriptis humanis distinguant. Quemadmodū è Patribus fatentur Lactantius & Origenes supra à nobis laudati, & jam ante cum Justino Martyre & Augustino ad partes vocati, dissimulante Adversario in Desperatis. Caussa pag. 231. ubi pro nobis quoq; produximus Gregoriū de Valentia & Serarium Jesuitas. Fromonde, vir si esse velis, depone lusoria arma, sequentem thesin ordine ac legitime ac oppugna. Sic autem statuimus. *Si Ecclesia ad eā obscuritatem rediret, qua erat tēpore nativitatis Christi, imo, si intestabilis fieret, Scripturæ tamen sua constaret authoritas, divina nempe, & infallibilis: probarique posset è notis & κριτηρίοις ei insitis.* Pro cujus probatione præter authores supra hoc capite, & in Desperatis. Caussa citatos, adducimus Junilium Episcopum Africanum lib. 2. de part. divin. legis ad Primas. Ubi cum ita quæsivisset, *Unde probabus libros religionis nostræ esse divina inspiratione conscriptos?* Respondet, *Ex multis, quorum primū est ipsius scripturæ veritas, deinde ordo rerū, consonantia præceptorum, modus locutionis sine ambitu, puritasq; verborum: additur conscribentium & prædicantium qualitas; quod divina, homines; excelsa, viles; infacundi, subtilia, non nisi divino spiritu tradidissent. Tunc prædicationis virtus, quam, dum licet à paucis despectis prædicaretur, obtinuit. Accedunt his testificatio cōtrariorum, ut Sibyllarū vel Philosophorum, expulsio adversariorū, utilitas*

consequentium, exitus eorum, quæ per acceptiones & figuras & prædictiones prædicta sunt. Ad postremum miracula jugiter facta, donec Scriptura ipsa reciperetur à Gentibus; de qua hoc nunc maximum miraculum sufficit, quod ab omnibus suscepta cognoscitur. Notæ autem quæ authoritatem Scripturæ conciliant, eam etiam distinguunt à libris Apocryphis; quos probamus non esse in censum Canonicorum librorum admittendos, quia quæ propria sunt libris Canonicis, nequaquam iis conveniunt. Videatur Rainoldus in Cens. lib. Apocryph. Si dignum quid professione, Doctor, præstare velis, thesin nostram solidis rationibus oppugna. Quam infrunitum enim, quod dein quæris: *Cur S. Ambrosius ad primum statim libri quarti Esdræ olfactum, non abierit, tanquam adulterinum (uti re verâ est) sed honorare dignatus, ut Canonicum; si alius longe ex suppostititiis, quam ex genuinis Scripturis statim eminet odor?* At cur tu polypose non subodoraris thrasonici fastus excrementa, quæ cordatos omnes procul à librorum quisquiliis fugant? aut cur tu tantus natu Doctor & Magister tam multa ipsis Catechumenis nostris nota ignoras, & ante biennium admonitus, nec dum didicisti? Ridete pueri alphabetarii: ὁ μέγας vester sic argumentatur: Ambrosius judicavit librum quartum Esdræ esse Canonicum, ergo in scriptura nulla sunt κειτήρια, quæ libros Canonicos ab Apocryphis distinguant. Argumentum per omnia huic simile: Ambrosius dialectos Græcos ab Ebraicis nescivit distinguere, ergo nulla κριτήρια sunt, è quibus discrimen agnosci possit. Nec tamen quid detractum volo Ambrosio: qui, quia homo, errare potuit, & erravit in aliquibus, fatentibus ipsis Papanis; non omnia enim omnibus Deus largitur, & sæpe ipse Homerus dormitat. At quis non homini huic serio irascatur, qui Ambrosio eandem, quam mihi passim solet, injuriam facit. Illene quartum librum Esdræ amplexus fuit ut protocanonicum? falsissimum. Ter tantum eum citavit: sed familiare Patribus laudare quoque eos libros, quos ipsi pro apocryphis agnoverunt. Sic Tertullianus lib. de Orat citat librum Hermæ, quem tamen lib. de Pudicit. cap. 10. & 20. scripturarum apocrypham & falsam vocat. Pro Ambrosio citante tantum quartum Esdræ librum, è tuis Doctoribus Genebrardum, Joannem Benedictum,

ctum, & Renatum Benedictum supposuisses, securi enim conciliabuli Tridentini, librum eum Canonicum esse docent. Nec Bellarminus, quem sequi in melioribus soles, dicere ausus est Ambrosium quartum Esdræ librum pro Canonico agnovisse: citatum esse perhibet. Verba illius lib. 1. de Verbo Dei cap. 20. hæc sunt: Quartus Esdræ citatur quidem ab Ambrosio libro lib. in Lucam, ac in Epistola 21. ad Horatianum: tamen sine dubio non est canonicus, cum à nullo Concilio referatur in Canonem &c. Addatur ei Pererius, qui ita in Danielem lib. 15. Nec mirandum accidat Lectori, me usum esse sententiis libri quarti Esdræ, qui non modo non est Canonicus, verum etiam ut Apocryphus à Patribus rejectus est. Equidem sequutus in hoc sum Divum Ambrosium, qui in libro de bono mortis, eum ipsum locum Esdræ, quem nunc memoravi, sub nomine Esdræ, & cum magna laude sententiæ, ad confirmandam fidei nostræ doctrinam, quæ est de resurrectione mortuorum adhibuit. Quin idem epistola vigesima prima, quam scripsit ad Horatianum, suadet librum quartum Esdræ legendum esse, quod in ipso anima cœlestis esse naturæ demonstretur: & Philosophorum nugæ de ipsius substantia confutentur. Sed pergit ineptire: Cur veteres non pauci circa S. Joannis Apocalypsin, secundam & tertiam ejus Epistolam, circa Jacobi, Judæ, Petri secundam, & Pauli ad Hebræos tam diu ambigui, si spiritus sancti tam expressa fragrantia nares afflet omnium legentium? Cur cæcus in Euangelio Marci cap. 8. ad primam oculorum apertionem dilucide homines ambulantes non vidit? Profundæ vero ignorantiæ fragmenta libremus, ne quid omisisse videamur. 1. Falsum est multos è veteribus diu fuisse ambiguos circa Joannis Apocalypsin: ante Dionysium Alexandrinum aliqui saltem Græci subdubitarunt. Vide Hieron. ep. ad Dardanum. 2. De secunda & tertia Epistola Joannis, item Jacobi & Judæ, & secunda Petri similiter paucissimi tantum fluctuarunt, ut testatur Euseb lib. 3. Hist. Eccles. cap. 25. & lib. 6. cap. 18. At quæ hæc consequentia? è Patribus dubitarunt de eorum librorum authoritate, ergo nulla in iis inveniuntur κριτήεια. 3. Circa Epistolam ad Hebræos per pauci quoque ex Latinis hæserunt, quod

Novato

Novato favere videretur. Interim ad asserendam Canonicam illius authoritatem hanc necessum ad unam Ecclesiam confugere. Potest illius authoritas cum Bellarmino, ex posteriori Epistola Petri asseri. Sic autem ille lib. 1. de Verbo Dei cap. 17. Sexto, videtur beatus Petrus hujus Epistolæ mentionem facere. Petrus enim priorem epistolam scripsit ad Hebræos inter gentes dispersos, ut patet ex titulo, atque Oecumenius docet, & ipse etiam Erasmus ad initium annotationum in hanc epistolam contendit: posteriorem ad eosdem scripsit, ut colligitur ex verbis cap. 3. Hanc vobis carissimi secundam scribo epistolam. In eodem autem capite postea subjungit: sicut & carissimus frater noster Paulus scripsit vobis. Scripsit igitur Paulus, Petro teste, epistolam aliquam ad Hebræos. Hæc Bellarminus: cujus locum, si tantum adduxissemus, abunde Doctorem nostrum, ineptientem in gratiam demortui Jansenii, confundere potuissemus: sed libuit omnes ejus nugas percurrere, ut ipsa Academia Lovaniensis in posterum silentium illi imponat, ne eam forte prostituere pergat. Si velit, cum Bellarmino contendat, quæratque è Patribus societatis quomodo unus scriptor Canonicus alteri testimonium perhibere possit. Quæ dein de Luthero adfert, & Jacobi epistola, straminea scilicet ab eo appellata, abunde à nobis in Desperatis. Caussa refutata sunt.

CAPVT

CAPVT VIII.

Quid intelligat Augustinus per consensum populorum testantiū de sacræ scripturæ authoritate. Ecclesiæ authoritas est tantum motivum ad credendum Scripturæ. Non est secundum Augustinum acquiescendum in sola authoritate Ecclesiæ. Decantatum illud Augustini, Ego Euangelio &c. explicatur è scriptis Papanorum contra adversarium. Si contra scripturæ adversarios probanda illius divinitas sit, haut necessum est ad traditionem confugere; sed ad ipsas scripturas teste Bellarmino. Neque Veteris neque Novi Testamenti libri corrupti sunt. Scire qui sint authores & scriptores librorum Canonicorum non est ad salutem necessarium. Non sequitur, quoscunque libros Patres ad testimonia vocarunt illi sint Canonici. Quantum authoritatis secundum Papanos Ecclesiæ in scripturam competat: quam subdoli iidem sint detegitur in tegendis, quas mente premunt, blasphemiis. Bellarminus sui proditor est.

PRogreditur Doctor arrodere responsiones nostras, quas in Desperatiss. Caussa Sceptico-Libertinis Jansenii Quæstionibus opposueramus, quia eas examinare neque potuit neque ausus est. Alius si ita ineptiret, miraremur: *Cuiis verò permissum est turpiter agere.* Initio vapulo cap. 7. Epistolæ, ad quod ordine accessimus, quod verba quædam in citatione loci Augustini, (quia otiosa erant, & nihil ad rem faciebant,) omisi. Sic autem dicit Hipponensis Episcopus lib. 6. Confess. cap. 5. Persuasisti mihi, ô Domine Deus, non eos, qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus fere gentibus authoritate fundasti, esse culpandos. Sed eos qui non crederent: nec audiendos esse, si qui forte mihi dicerent, unde scis illos libros unius veracissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos. Id ipsum enim maxime credendum erat. Egregie confundens, ac ἀθεότητ@ redarguens omnes Papanos rabulas, qui hanc Libertino-Scepticam quæstionem ad nauseam usque proponunt;

ponunt: Unde ſcis libros Canonicos eſſe Canonicos? Ego quia omiſeram hæc verba, quos tanta in omnibus feregẽtibns authoritate fundaſti, noſter ita ineptit: Eraſiſti verſum iſtum, ubi obiter fatebatur Auguſtinus, ſe Eccleſiarum ubiqne fere gentium, authoritate commoveri, ut volumina illa, ſacra eſſe crederet, quæ tam multorum manibus talia habebantur. At quis non videt *Augu*ſtinum hiſtoricè tantum referre, Scripturam ut divinam ab omnibus fere gentibus (exceptis ſemper Enthuſiaſtis & Papano-Sceptico-Libertinis) receptam eſſe? Quid hoc vero ad traditiones aut Eccleſiæ præſentis judicium? neque enim dicit ſibi è traditione, aut præſentis Eccleſiæ teſtimonio hoc conſtare. Nec hilum Noſtrum hæc ſequentia Patris verba juvant: Jam credere cœperam, nullo modo te fuiſſe tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes jam terras authoritatem, niſi & per ipſum tibi credi, & per ipſam te quæri voluiſſes. Quotieſcunque enim Auguſtinus meminit populorum conſenſus, docet præter alias rationes in ipſa Scriptura occurrentes, eam recipiendam eſſe, quia à primis temporibus omnibus prope populis conſentientibus ab Apoſtolis conſtituta & comprobata eſt. At quam illud alienum à Papanorum ſententia, ad Scripturarum confirmationem præſentis Eccleſiæ teſtimonium advocantium? Sic dicit quoque lib. 13. contra Fauſtum cap. 5. Noſtrorum porro librorum authoritas, tot gentium conſenſione, per ſucceſſiones Apoſtolorum roborata, vobis adverſa eſt. Quod vero Auguſtinus, non tantum propter Apoſtolicæ Eccleſiæ judicium, quod nos ut motivum ſemper admiſimus, Scripturam ut divinam amplexus fuerit: ſed maxime, quia eam divinam eſſe, internum Spiritus ſancti teſtimoniũ in eo aſſeverabat, ipſe eleganter docet, lib. 11. Confeſſ. c. 3. ubi hanc corã Deo confeſſionem edit: Audiam & intelligã, quoniam in principio feciſti cœlum & terram. Scripſit hoc Moſes, ſcripſit & abiit, tranſivit hinc ad te. Neque enim nunc ante me eſt. Nam ſi eſſet tenerem eum, & rogarem eum, & per te obſecrarem, ut mihi iſta panderet, & præberem aures corporis mei ſonis erumpentib. ex ore ejus. Et ſi Hebræa voce loqueretur, fruſtra pulſaret ſenſum meum, nec inde mentẽ meam quicquã tangeret. Si

autem

autem Latine, scirem quid diceret, sed unde scirem? Intus utiq; mihi, intus in domicilio cogitationis, nec Hebræa, nec Græca, nec Latina, nec Barbara veritas, sine oris & linguæ organis, sine strepitu syllabarum diceret, verum dicit: Et ego statim confidenter illi homini tuo dicerem, verum dicit. Hactenus Augustinus: cujus dictum ex cap. 5. contra Epist. Fundamenti, Ego Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas; cum iterum, post accuratissimum Voetii explicationem proferre ausit, ostendit se hominem deploratæ Vesaniæ esse. Si nolit Voetio aut mihi credere, & in decantatissimo loco notare Africanam phrasin, ac crederem, pro *credidissem* (quemadmodum Augustino, qui de se Manichæo adhuc loquitur, familiare est) accipere, audiat Melchiorem Canum, qui lib. 2. loc. Theol. cap. 8. præcedentem locum, hunc in modum interpretatur: Augustino negotium erat cum Manichæis, qui absque controversia suo cuidam Euangelio credi volebant: Rogat Augustinus ec quod facturi sint, si in hominem incidant, qui ne quidem Euangelio credat, quo genere persuasionis sint eum in suam sententiam adducturi, certe se affirmat, non aliter potuisse adduci, quam Ecclesiæ authoritate victum: Non igitur docet in Ecclesiæ authoritate fundatam esse Euangelii fidem: agit enim Augustinus quomodo infideles ad credendum adducantur. Quis vero nostrum unquam negavit, homini infideli, Ecclesiam posse, velut motivum esse, ad inquirendum de veritate eorum librorum, quibus Dei eloquia consignata sunt? At quis sanus inde concludat ex Ecclesiæ solius testimonio constare qui libri Canonici sint habendi? Ecclesiæ authoritas quosdam movere potest ad credendum, nec tamen in ea (quia semper haut necessaria est) sola acquiescendum est. Egregie ipse Augustinus tract. 15. in Euangel. Johann. utens simili desumpto à muliere Samaritana, de qua Iohan. 4. *Sic agitur*, inquit, *hodie cum iis qui foris sunt & nondum sunt Christiani: Christus nunciatur per Christianos amicos, tanquam illa muliere, hoc est Ecclesia, annunciante, ad Christum veniunt, credunt per istam famam, manet apud eos biduo, dat eis duo præcepta charitatis, & multo plures & firmius in eum credunt, quoniam ipse est vere salvator*

mundi. Ubi clare per similitudinem ostendit præter Ecclesiæ testimonium aliud longe firmius esse, ac proinde non esse pendendum ab eo solo, ut volunt Papani. Ut enim Canus inquit loco modo laudato: *Non est Ecclesiæ authoritas ratio per se movens ad credendum, sed caussa sine qua non crederemus.* Cum gregalibus autem Noster more suo ineptit, & Augustini dictum ad præsentem Ecclesiam applicat. Si à me erudiri nolit, audiat Joannem Driedonem, qui quondam inter magistros Professor Theologiæ fuit. Is ita lib. 4. Variis Dogmat. *Loquitur Augustinus de Ecclesia illa, quæ fuit ab initio fidei Christianæ.* Et ante eum Gerson lib. de vita animæ; *Augustinus*, inquit, *Ecclesiam ibi sumit pro Ecclesia primitiva fidelium, qui Christum viderunt, & audiverunt, & ejus testes extiterunt.* Cum Jansenius quæsivisset q. 4. *Ubi scriptum sit, omnia in Veteri Testamento, Euangeliis & Epistolis, esse Christo in auctoribus loquente scripta*: respondi; *illud esse principium Christianismi, contra negantem autem principia non esse disputandum.* Contra quæ ita Adversarius cornicatur: *Principia, quæ non sunt per se & ex terminis nota, possunt à posteriori ex effectibus, deinde auctoritate, ac variis signis probari, & tanquam principia agnosci, etsi disputari demonstrarique nequeant per caussas à priori.* Jam demum aperte loqueris, teque non esse habendum pro Christiano, aut Scripturæ filio liquido ostendis. Inter Christianos ut principium præsupponitur sacra scriptura, cujus authoritas à signis, effectibus & notis probanda tantum est contra atheos, Gentiles, Mahometistas, aliosque ejus commatis. Audi iterum Thomam 1. pr. 1. q. 1. art. 8. *Dicendum*, inquit, *quod sicut aliæ scientiæ non argumentantur ad sua principia probanda, sed ex principiis argumentantur ad ostendendum alia ex ipsis scientiis: ita hæc doctrina non argumentatur ad sua principia probanda, quæ sunt articuli fidei: sed ex iis procedit ad aliquid aliud probandum.* &c. Contra scripturæ vero adversarios, si probanda sit illius authoritas haut necessum est ad traditionem, aut Ecclesiæ authoritatem confugere. Ex ipsis Scripturarum lineamentis certitudo & divinitas probari possunt. Apposite ac ad mentem nostram ipse Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 2. *Certissimas & divinas* (ait) *esse Scripturas, quæ Propheticis & Apostolicis literis continentur, nec humana inventa, sed oracula divina*

continere, testis est ipsa Scriptura, cujus si veræ sunt prædictiones rerum futurarum, ut eventus postea comprobavit, cur non vera sint rerum præsentium testimonia? Verum igitur est quod ait David 2. Reg. cap. 23. Spiritus Domini locutus per me est. Verum est quod ait Zacharias Luc. 1. Benedictus Deus est. Verum est quod ait Petrus 2. Pet. 1. Acti à Spiritu sancto locuti sunt sancti Dei homines: & Paulus 2. ad Tim. 3. Omnis Scriptura divinitus inspirata, &c. Hactenus Bellarminus: quem si inspexisset Adversarius non prostituisset cathedram Theologicam, nec ineptissimis quisquiliis obscurare laborasset duo Scripturæ testimonia 2. Tim. 3. & 2. Petr. 1. à nobis non tantum, sed ipso etiam Bellarmino ad partes vocata. Quæ hæc enim blasphemiæ? *Verissimum quidem, omnem Scripturam sacram divinitus esse inspiratam; sed quænam sit illa Canonica, &, an inter partes Canonicas, & velut aureas, nullum vilioris metalli ferrumen usquam inculcatum sit, non definit.* Et tamen dicitur πᾶσα γραφὴ: si tota Scriptura est θεόπνευστος, ne etiam omnes illius partes. Quis vero credat authorem Scripturarum Deum, eas sartas tectasque non conservasse, & ab omnibus corruptelis asseruisse? In aurea autem illa catena, nullum vilioris metalli ferrumen usquam inculcatum esse, quis ambigere ausit? Aut enim hoc fuerit factum in libris Veteris fœderis, aut Novi, aut utrisque reique criminis falsi aut erunt ipsi scriptores, Spiritus sancti amanuenses, aut alii. At illos quis accusare ausit? *Propheta* enim *& alii scriptores hagiographi vocantur calami & instrumenta Spiritus sancti, quasi scribæ velociter scribentis, inspirantis & dictantis sacras litteras*, ut loquitur Corn. à Lapide ad præsentem Pauli locum. Hos vero si consideremus, & nominatim corruptores Veteris Testamenti, erunt è Judæorum synogogis protrahendi. *Illis* enim *crediti sunt* τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ. Rom. 3. v. 3. Quando vero Iudæi Veteris Testamenti libro corruperint? Non ante Christum. Nam 1. aut ab ipso Christo, aut à quo ex Apostolis hoc proditum esset. 2. Christus & Apostoli non commendassent lectionem librorum Veteris Testamenti. Ioh. 5. v. 39. Sed neque post Christum improbis manibus eosdem libros tractare sunt aggressi, ut ex ipsis Pontificiis fatentur & multis probant, *Driedo de dogmat. Eccles. lib. 2. Arias Montanus præf. in Bib. 1.*

Inter 1. *Ludovicus de Tena lib* 1. *de script diff. Andrad. l.* 4. *Defens. Concil. Trident. Marinus Præf. in arcam Noæ. Bellarm. l.* 2. *de verbo Dei cap.* 2. Nec libri Novi Testamenti, ut corrupti suspectari possunt. Quemadmodum enim recte Bellarm. ait lib. 2. de verbo Dei cap 7. Etsi multa depravare conati sint hæretici : tamen nunquam defuerunt Catholici, qui eorum corruptelas detexerint, & non permiserint libros corrumpi. Quando ergo Spiritus sanctus pronunciat totam scripturam esse θεόπνευστον, tuto exemplo Bellarmini hoc omnibus illius partibns possumus applicare. Ex his responsio patet ad ea quæ dein adfert contra Petri Apostoli testimonium. Ad rem quoque nihil facit, quod in gratiam Jansenii dicit: Quærere potius, unde constaret, Petrum & Paulum esse, qui epistolas illas, quas citas, scripserunt? Quod aliunde firmiter probare non potestis, quam nobiscum ex traditione Ecclesiastica. Quam puerilis enim hæc quæstio? quasi scilicet sit ex necessariis articulis fidei, scire quis qualisve author sit singulorum librorum Canonicorum: & hoc non potius humana, quam divina fide cognoscatur. Quid lucraberis bone Doctor, si tibi concedam per traditionem acquiri fidem historicam aliquarum rerum, quæ citra dispendium salutis possunt ignorari. Nequaquam inde sequetur traditionem etiam esse agnoscendam in dogmatis ad salutem necessariis, aut per Ecclesiam solam custodem scilicet traditionis constare Paulum, Petrumve esse authorem epistolarum, quæ sub alterutrius nomine circumferuntur. Hoc confirmant non minus Ecclesiæ hostes, quam antistites. Eleganter Iustinus Martyr cohortat. ad Græcos: Quod etiamnum apud Iudæos pietatis nostræ libri asserventur, divinæ id de nobis opus est providentia. Ne enim ex Ecclesia eos proferentes, occasionem quasi suppositi à nobis aut corrupti sint, maledictis nos incessere valentibus præbeamus, ex illorum Synagoga producimus; ut ex ipsis huc usque apud eos conservatis libris, ad nos nostramque doctrinam à sanctis viris edita jura, liquido & manifesto pertinere appareat. Sed expendamus Traditionis hujus efficaciam? illa nos docebis qui authores sint librorum Canonicorum. Ergo doceat qui authores sint singulorum Psalmorum, omnes enim non esse Davidis certissimum est: item qui

qui authores ſint librorum Regum, Chronicorum, libri Ruth, & libri Eſther: ut Papanam hanc Helenam pro infallibili Doctore & ipſius Scripturæ judice ac Dictatore agnoſcere queam. Sed haut neceſſum definite hoc à me cognoſci, & conſequenter foveri Traditionem: (quam nunquam omni authoritate,in rebus quæ citra ſalutis jacturam ignorari poſſunt, exſui) ſufficit mihi, ſi ſciam libros Veteris Teſtamenti complecti Legem Moſis, Prophetas,& Pſalmos, Luc.24.v.44. Paulumque ſcripſiſſe quaſdam Epiſtolas: hoc enim me docet Petrus 2. Ep.3.v.26. certo conſtare poſteriorem Epiſtolam ad Timotheum illius eſſe, quia hoc docet inſcriptio è quo ſigno cognoſco quoque poſteriorem epiſtolam ad Timotheum illius eſſe, quia hoc docet inſcriptio, è quo ſigno cognoſco quoque poſteriorem epiſtolam Petri, non alterius quam Petri eſſe. Ut enim Patris ſui teſtamentum filius agnoſcit ex ejus ſubſcriptione,& Papani bullas Pontificum ex plumbo & charactere annuli piſcatoris,ita ex hoc quoque ſigno certo colligo & cognoſco authores Canonicorum monumentorum. Nihil vero ad rem facit quod æque certo non poſſim cognoſcere authorem epiſtolæ ad Hebræos, neque enim placuit hoc diſtincte Spiritui ſancto mihi revelare, quod ad ſalutem non ſit neceſſarium: ſi enim ad ſalutem neceſſarium fuiſſet revelaſſet. Sufficit κριτήεια eam habere ex quibus cognoſcere poſſum eam eſſe Canonicam: ea autem inter alia illa ſunt,quorum ſuperiori capite facta eſt mentio. Conſiderare ea ſolent Patres primario,non autem Traditionem aut Eccleſiæ teſtimonium, quod ut motivum nobiſcum ſolum conſiderant. Κριτήεια autem hæc cum expenderent, diligens putabantur inſtituere examen. Auguſt.lib.15. de Civ. Dei cap. 23. Multa ſub nominibus & aliorum Prophetarum, & recentiora ſub nominibus Apoſtolorum ab hæreticis proferuntur, quæ omnia ſub nomine Apocryphorum autoritate canonica diligenti examinatione remota ſunt. Si liquidum hoc n.ex traditione aut Eccleſiæ teſtimonio fuiſſet,quorſum diligentem examinationē inſtituiſſent? Janſenium ablegaveram ad Auguſtini libros contra Adverſarium Legis & Prophetarū: ut falſus fuiſſe videar, ſic ejus Patronus; *Bona fide, an toto anno Calendæ Apriles apud vos ſunt? Ita enim paſſim à vobis quocunq; fruſtra & in puerile tantum ludibriū mittimur.* Sed ad quē alium

alium Æsculapium eum relegassem, qui probari sibi vult omnia in V. Testamento esse scripta, Christo in auctoribus loquente, & non quædam spiritu humano. Nec quicquam adversatur nobis Augustinus ib. lib. 1. cap. 20. quando sic dicit: Si apocrypha, quæ sub nominibus Apostolorum Andreæ, Ioanisque conscripta sunt, illorum essent, recepta essent ab Ecclesia, quæ ab illorum temporibus, per Episcoporum successiones certissimas usque ad nostra & deinceps tempora perseverat. Disputat enim eo loco contra Scripturæ hostes, adversarios legis & Prophetarum apud quos quid valere Ecclesiæ authoritatem, quæ qualecunque motivum esse potest, nunquam negavimus. Ad hoc loquitur de Ecclesia vere Catholica, qualis nequaquam haberi potest synagoga Romano-Papistica. Sola Ecclesia si doceret libros Canonicos ab Apocryphis distinguere, sequeretur quosdam libros Novi Test. non fuisse Canonicos ante annum quadringentesimum à Christo nato, post eũ n. Ecclesia decretum de iis inter Canonicos adoptandis condidit. At interim, aliis dubitãtibus, multi eos pro vere Canonicis, persuasi argumẽtis Scripturæ ipsi insitis, amplexi fuerunt. Pergit: Libro altero Veteris Test. authoritatem, quod adversarius ille legis abjiciebat, tanquam à malo dæmone conditum defendit Augustinus ex Novi Testamenti scripturis, quas ille recipiebat. Quia nimirum Christus & Apostoli, id est, prima illa sacrosancta Ecclesia libros Veteris Testamenti in religione habuerunt, & testimoniis inde prolatis scripturas novi Testamenti suffecerunt. Recte, & ad mentem nostram. Si Scriptura Scripturæ testimonium perhibere abunde potest, quorsum Ecclesia moderna Pseudo-Catholica advocatur? Ridiculum vero Christo & Apostolis, qui in primitiva Ecclesia vixerunt, à Doctore non plus authoritatis, quam modernæ factioni Romanæ, Ecclesiæ titulo superbienti, assignari. Vere Gerson de vita spirit. lect. 2. Cor. 7. Major est Ecclesiæ priscæ authoritas, quoad prædicta, quam nunc est: non enim est in potestate Papæ aut Concilii, mutare traditiones ab Euangelistis traditas, ut quidam delirant. Sic Durand lib sent. d. 24. q. 1. Qui negat hoc quod dictum est de approbatione Scripturarum per Ecclesiam, intelligi solum de tempore Ecclesiæ primitivæ, hæreticus est censendus, cu-

juſcunque ſit ſtatus aut conditionis. Dicit dein: Quemadmodum fere nos quorundam ſacrorum voluminum (ut Eccleaſiaſtici, Machabæorum &c.) contra vos auctoritatem, Eccleſiæ ſequentium temporum auctoritate ſuſtinemus; quia S. Auguſtinus & Patres, in Eccleſiâ illius ævi columina & columnæ, ſacra teſtimonia ex illis libris decerpſerunt. Ergo Patrum, nominatim Auguſtini, quando quæritur qui libri ſint pro Canonicis habendi, æque magna erit authoritas, ac Chriſti & Apoſtolorum. At tantam authoritatem nullus è Patribus unquam ſibi arrogavit. Sed quæ puerilis hæc conſequentia; *ex quibus voluminibus Patres teſtimonia decerpſerunt, ea ſunt Canonica*? Superiori capite inconſequentiam hujus propoſitionis abunde oſtendimus. Nam Patres etiam teſtimonia decerpere ſolent ex iis libris, quos ipſi Papani habent pro Apocryphis. Etenim Paſtor Hermetis citatus eſt à Tertulliano, Clemente Alexandrino, Athanaſio, Caſſiano, & Euſebio, quis tamen dicere auſit libellum illum pro Canonico habendum eſſe? Si procederet hæc conſequentia, citra ullam hæſitationem pro Canonicis eſſent habendi omnes illi libri, qui à Prophetis & Apoſtolis citantur. Sed quid Auguſtin. q. 42. in Numeros dicit? Neque negandum eſt fuiſſe jam libros ſive Chaldæorum, unde egreſſus eſt Abraham, ſive Ægyptiorum, ubi didicerat Moſes omnem illorum ſapientiam, ſive cujuſque gentis alterius, in quorum librorum aliquo hoc potuit eſſe ſcriptum: qui tamen non ideo aſſumendus in eas ſcripturas, quibus divina commendatur autoritas: ſicut nec Propheta ille Cretenſis, cujus mentionem facit Apoſtolus, nec Græcorum ſcriptores vel Philoſophi vel Poëtæ, quos idem ipſe Apoſtolus magnum ſane aliquid & veraciter promptum apud Athenienſes loquens dixiſſe confirmat. In illo enim vivimus, movemur, & ſumus. Licet enim divinæ authoritati unde voluerit, quod verum invenerit, teſtimonium ſumere, ſed non ideo omnia, quæ ibi ſcripta ſunt, accipienda confirmat. Hactenus Auguſtinus. Progreditur noſter citatoque altero ex Auguſtini libris à nobis indicatis teſtimonio, quia ipſe, ut ut polypolus eſt, ἀπεριστόνυσαν eſſe animadvertebat, ita cornicatur: Si autem adverſarius Scripturas illas novi Teſtamenti, quibus eum premebat Auguſtinus, tan-

quam non Apostolicas rejecisset, aut ab Apostolis quidem, sed spiritu humano scriptas dixissem, quid, putas, aliud ei reposuisset Augustinus, quam quod eruditi illi Epistolæ ad Philemonem apud Hieronymum defensores: Nisi Apostolicæ & Spiritu divino scriptæ essent, nunquam in toto orbe à cunctis Ecclesiis susceptæ fuissent. At quid hoc ad rem? Si potes proba veram hanc esse consequentiam: Si Patres quidam inde probarunt librorum Canonicorum authoritatem quod in toto orbe à cunctis Ecclesiis essent suscepti, ergo negarunt iis ulla κριτήρια inesse, per quæ possunt ab aliis libris, nominatim Apocryphis distingui; & tibi herbam porrigemus. Subjicit: Atque ita ultimam suscipiendorum sacrorum Librorum auctoritatem ad Ecclesiam quæ (1. Tim. 3.) est columna & firmamentum veritatis devolvisset. At quid ad rem hoc Pauli testimonium? Neque enim Ecclesia est στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς πίστεως, ἀλλὰ τῆς ἀληθείας. Fides enim non nititur Ecclesia, aut niti potest: est enim Ecclesia nihil aliud quam omnes fideles. Sed propius ad Pauli locum accedamus: loquitur ille de Ecclesia Ephesina, quæ jam esse desiit, sicque vocatur quia conservat ac propagat veritatem; ad exemplum columnarum, quibus edicta magistratuum affigi solent. Sed quæ consequentia, Ecclesia quælibet particularis conservat propagatq; veritatem, ergo ultimo sacrorum librornm authoritas resolvenda est in Ecclesiam. Si vir esse cupis ex præsenti Apostoli loco proba Ecclesiã scripturæ, quæ est veritas, authoritatem conciliare, eamq; à sola Ecclesia pendere: quæ item non constare nisi per Ecclesiæ testimoniũ, quæ scripturæ sint Canonicæ. Nisi forte columnæ, quibus affiguntur magistratuũ edicta, iis authoritatem concilient, ostendantq; habenda esse pro legitimorum magistratuũ edictis, & non potius sigilla, subscriptiones, inscriptiones, stylus, totusq; contextus hoc evincant. Vide sis vero quomodo in gratiam redeas cũ tuis gregalibus, quando dicis: Ultima suscipiendorũ sacrorum Librornm authoritas ad Ecclesiã devolvitur: non quasi auctoritas Ecclesiæ sit formale fidei motivũ, ut loquimur. Solum enim est caussa illud applicans, & testificans in propositione aliqua revelata, aut integro libro Canonico, authoritatem divinam esse, cui fide supernaturali oportet credere.

At cur ergo authores veſtri ſine numero dicunt ſcripturam omnem authoritatem accipere ab Eccleſia? Pichius lib. 1. Hierarch. Eccl. cap. 2. expreſse dicit eas niſi ab Eccleſia accepto veritatis teſtimonio, nullam ex ſeipſis aut ſuis authoribus apud nos habere veritatem. Cardin. Suidiſius in Catechiſmo; Doctor. Ad quemnam pertinet definire libros Canonicos? Catholicus. Ad Eccleſiam: cujus abſque authoritate non majorem ſidem adhibuerim Divo Mathæo: quam Tito Livio. Petrus Simonis Tiletanus Iprenſis Epiſcopus lib. de Veritate; Omnis quæ apud nos eſt ſcripturæ authoritas ab Eccleſiæ authoritate neceſſario dependet, neque enim aliter eis credere poſsemus, niſi, quia teſtimonium illi perhibenti Eccleſiæ credimus. Andrad. lib. 2, Defenſ. Concil. Trident. Neque enim in ipſis libris, quibus ſacra myſteria conſcripta ſunt, quicquam ineſt divinitatis, quæ nos ad credendum, quæ illis continentur, religione aliqua conſtringat: ſed Eccleſiæ, quæ codices illos ſacros eſse docet, & antiquorum Patrum fidem & pietatem commendat, tanta eſt vis & amplitudo, ut illis nemo ſine graviſſima impietatis nota poſſit repugnare. Huntl. tom. 1. Epitom. Controverſ. controv. 2. cap. 10. Eccleſia non dat nudum teſtimonium ſcripturæ, ſed etiam authoritatem. Et omnium impudentiſſime Charronæus: Si quid Spiritus ſanctus in propria perſona diceret, referendum eſset ad Eccleſiam, ut ab ea approbaretur & ſumeret authoritatem: ſic enim Spiritus Dei ſubjicitur Eccleſiæ, ut apud Paulum Spiritus Prophetarum Prophetis. Sed video exemplo non tantum Stapletoni, verum Bellarmini quoque lib. 2. de Concil. cap. 12. mollire voluiſti crudam, ne dicam blaſphemam ſententiam: eoque uteris lepida illa ſimilitudine de manu removente velum à tabula. Quanquam autem ſemper admiſimus Eccleſiam ut teſtem, qui approbet, recipiat & promulget ſuis ſcripturas; non tamen idem tecum ſtatuimus: ſcripturas enim ut Canonicas recipimus non tantum propter Eccleſiæ teſtimonium, ſed præcipue propter internum teſtimonium Sp. ſancti: & ſecundario propter multa alia teſtimonia, quæ aut æqualis authoritatis ſunt, aut etiam majoris cum teſtimonio Eccleſiæ. Vapulo dein quia dixi Scripturam lucem eſse quæ non tantum detegat tenebras, ſed etiam ſe-

ipsam. Et ut Lector cognoscat Magistrum Lepidum, sic oblaterat: Dolendum Theodorum Bezam non habuisse istius oculos, non tam sæpe in Testamenti Commentariis dubitasset, An versus hic vel ille intrusus esset à Librariis, aut ex margine irrepsisset in textum. Uno enim oculi conjectu maculas omnes, & assutos Librariorum pannos in tam fulgida scripturæ purpura deprehendisset. Ineptias suas cognoscet, si responderit cur meridie, sole defecatissimo, omnem lippi, strabones, myopes, & cœci æque acutum non cernant. Quando dicimus scripturam in se esse lucem & lucernam, Ps. 119. & 2. Petr. 1. hoc nolumus dicere, eam omnibus æque clare lucere. Ut enim Apostolus ait, *quibusdam opertum est Euangelium, iis nempe qui pereunt. In quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes, ne irradiet eos illustratio Euangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.* 2. Cor, 4. v, 3. 4. Sed addimus lucem illam, qua irradiata est, aut verius radiat, non eodem modo ab omnibus percipi: verum pro modulo Spir. sancti, quem cuique Deus impartitus est. Unde sæpe fit, ut qui eundem Spiritum habent, non eadem de omnibus rebus ad religionem spectantibus sentiant, cum non ex æquo & eadem mensura omnibus Spiritus sanctus donetur. Interim nihil decedit luci scripturarum, quæ sibi per omnia similis manebit & manet, etiamsi omnes aut hallucinentur, aut cœci sint. Ita lux non obscuratur à cœcis, nihilque solis claritati decedit, etiamsi ad eam noctuarum oculi caligent. Dixeram; Funditus à Bellarmino everti Jansenii quæstiones & stultitiæ egregie argui: quia lib. 1. de V. D. c. 2. dicit: Regula Catholicæ fidei certa notaque esse debet. Nam si nota non sit, regula nobis non erit: si certa non sit, ne regula quidem erit. Quod testimonium ut infeliciter laudatum probet, sic garrit: Sed ideone vobiscum censet Bellarminus, scripturam sacram esse instar solis, cujus statim fulgor & authoritas, sine Ecclesiæ detegentis traditione feriat? Vide enim ut isto ipso Cap. aperte contra vos notitiam & claritatem scripturæ, non ex ipsa in libris suis & paginis radiante, sed testimonio Ecclesiæ & orbis probet, &c. At quid tum? Bellarminus nunquam infestiorem adversarium, quam seipsum habuit: quæ cum summo enim labore probatum ivit, alibi sui oblitus

litus funditus evertit. Loco dicto disputat contra Enthusiastas & quidem feliciter, solide eorum deliria convellens: haut vero mirandum, si mox sibi obloquatur, hæc Papanorum scriptorum praxis, armis orthodoxorum Libertinos aggredi, & iterum quando contra illos disputandum est, horum blasphemias aperto capite eructare: ut prolixe probavi in Opere de Libertinismo.

CAPVT IX.

Authori pro minimo est quod ab adversario suo dijudicetur. Quid existimandum sit de candela Atrebatensi? Impostura Clericorum circa reliquias. Illæ patefactæ à variis Papistis & proditæ. Quomodo Cassander existimet eas posse detegi. Cur author quæstionem moverit de Atrebatensi candela? Ridiculæ & absurdissimæ reliquiæ in Papatu ostenduntur ac coluntur. Episcoporum & Clericorum officium est redarguere superstitionem muliercularum. Vasquez disputat coli posse ossa martyrum in cineres controversa. Gregorius XIII. Papa obloquitur Concilio Tridentino. Papa non audet hodie controversias fidei decidere. Succincte refertur historiæ controversiæ excitatæ in Hispania de Conceptione Virginis Mariæ. Præsentes Pontifices multum ab antiquis illis mutati sunt. Blasphemiæ, quibus Papani gnatones, quando de Pontifice loquuntur, indulgere solent. Idem probatur altero exemplo, & vaticinio Cardinalis Bellarmini.

VT quæstionario Jansenio paria referrem, post exarmatas Sceptico-Libertinas illius quæstiones, triplicavi numerum, syllabumque quæstionum nonaginta novem operis calci adjeci, ut iis, aut ipse, aut quis ex ejus parasitis responderet: quam provinciam ne adversarius noster suscipere cogeretur, percurrit locos communes mendaciorum & calumniarum, scriptique mei & quæstionum authoritatem omni ratione labefactare studuit, ne in iis diluendis, aut verius arrodendis, edentuli musculi ferocia publicum orbis sapientis ludibrium fieret. Initio cap. 8. *Audacter*

coram sole, & in luce eruditorum affirmare audet ne unum quidem ex omnibus suis argumentis cecidisse. Per me quidem hoc somnio se pascat & oblectet Endymion. Jurare ego temere non soleo: & ut plurimum πρὸς ἀπάτην ὅρκος σοφιστής ἐστιν ἀξιόχρεως. Quid à me in Desperatis. Caussa sit præstitum, judicent omnes, qui inter Papanos frontem adhuc habent. Apud multos eorum ineptissima Doctoris scripta sordere tam certum, quam meridie ortum esse solem. Digitum vero non verto, quod ab eo pro Christiano non habeor. Pro minimo mihi est, quod ab humano judicio dijudicor. 1. Cor. 4. Jam olim, teste Lactantio in calce lib. 4. Divin. Instit. Singuli quique cœtus hæreticorum se potissimum Christianos, & suam esse catholicam ecclesiam putabant. Rationem elegantem reddit Ignatius epist. ad Trallianos, ubi ita: Sunt nonnulli vaniloqui & seductores, non Christiani, sed Christi institores, qui ex nomine Christi quæstum faciant, fraude circumferentes illius nomen, & adulterantes verbum Euangelii, & erroris venenum allinientes dulcibus alloquiis, velut mulso aconitum miscentes, ut suavissimo sapore deceptus qui gustat, incaute mortem hauriat: Monet quidam veterũ: Nemo bonum illum dixerit, qui bonũ malo admiscet. Loquuntur namq; Christum non ut Christũ annuncient, sed ut Christum damnent, & rejiciant. Hocne iis, qui se Orthodoxos vocant, an Papanis magis conveniat, ultimo die Dom. Jesus Christus dijudicabit. Noster ut aliquid saltem videretur egisse, duas ex tot aliis quęstionib. excerpsit, quod largam ineptiendi ac garriendi materiam suppeditare viderentur. Quæstione 63. notaveram superstitionem, quæ publice Atrebati in Artesia exercetur circa candelam, quæ deficere non posse vulgo creditur; addideram autem fraudem aut sacerrimorum monachorum, aut diaboli, manifestum fore, si per duas solummodo horas sub dio collocetur: Ne supremæ potestates consilium hoc forte sequerentur, noster post paganã exclamationem sic cornicatur: *Sed unde tu etiam tam repente magus, ut duarum tantũ horarum aut Monachorũ aut diaboli imposturam deprehendas? An forte aliquando Atrebati fuisti, & periclitatus es? Non credo ranas tã longe in mediterranea erepere è suis paludibus.* Quasi v. aliunde nihil de absurdissima superstitione mihi constare potuerit? aut ad

manus

manus meas non pervenerit Historia Cerei edita à Guilelmo Gazæo Canonico Aëriensi? Doctori nostro haut similis sum: nec quicquid sub acumen styli venit ceræ illinere consuevi. Multi anni sunt, ex quo didici tum è dicto Gazæo, tum ex Annotationibus el. Anberti Miræi ad Chronicon Abbatis Gemblacensis, vulgo credi candelam hanc à virgine Maria Anhelmo, Atrebatensi Episcopo contra luem Epidemicam ignis ardentis esse traditam. Imposturam autem hanc propterea notavi, quia vulgo pro magno miraculo haberi ex ipsis Papanis sæpius audivi: nec tamen inter Magos sum censendus, qui dixi in gratiam seducti popelli candelam ex antro suo efferendam, ac sub divo collocandam esse. Illene magus qui fraudes diaboli ejusque sectatorum detegit? Quis unquam insulsiorem magi descriptionem audivit? Si ea vera: Magorum maximi habendi sunt, qui Mureti in Vasconia ante lustra haut ita multa (testibus Fuxio Candala in Comment. ad Mercurium Trismegistum & Papono in Arrestis) imposturam lachrymantis crucifixi manifestarunt, populo tot per annos seducto ostendendo abscissæ vitis sarmenta ex proximo horto per parietem perforatum in caput crucifixi usque ad oculorum foramina ab avarissimis monachis inducta. Ad hoc quod iis fiet, qui Cracoviæ detexerunt rubiginem in manubrio Crystallino pro sanguine Christi adoratum: item resinam ex lignea imagine defluentem ac pro Christi sanguine habitam. Ad hoc qui ex antro protraxerunt sacrificulum Boëmicum, qui suo sanguine ad decipiendum populum hostiam tinxerat, nec non ementitum sanguinem Christi in Welsnach oppido Saxoniæ: quæ omnia ante duo secula accidisse refert Joannes Wunschelburgensis in libro de signis & miraculis falsis citato à Gesnero in Bibliotheca. Iis accensendi erunt qui manifestarunt dolos Mariæ Lisbonensis priorissæ *de la visitatione*, de cujus satanicis fallaciis peculiaris liber est editus: item qui personam detraxerunt Johanni à Vincentia monacho Dominicano, de quo Vignerius in Chronico ad annum 1264. nec non qui ostenderunt Magdalenam de cruce monialem Cordubensem non fatidicam, sed sortilegam fuisse, de qua consulendus Cassiodorus Reinius. Examen tantummodo instituatur, & mirabiliario-

rum

rum mira fraudesque brevi patefient. Verissimum enim quod jam olim notavit Lyranus ad 14. Cap. Dan. *aliquando maximam deceptionem populi fieri in Ecclesia per miracula ficta à sacerdotibus.* Consilium à me obiter suggestum, Maximiliano & Ferdinando Imperatoribus Georgius Cassander dedit, post multa alia enim de reliquiarum abusu prudenter dicta Consultat. suæ art. 31. tandem concludit: Hodie cum passim omnia reliquiis sanctorum plena esse videantur, verendum est, ne si Episcopi & Principes in veris reliquiis inquirendis ac dijudicandis, quam deberent operam, adhiberent, ingentes & detestandæ imposturæ patefierent, quemadmodum in nonnullis factum est, & olim B. Martino accidit, qui cum locum quendam suæ diœcesis monumento cujusdam tanquam martyris celebrem adiisset, deprehendit, non martyris sed scelesti latronis monumentum à populo cultum & frequentatum, quod everti statim & exscindi jussit, quamvis illi quoque probari non debeant, qui odio superstitionis piorum hominum monumenta violarunt & ossa sive cineres, quibus etiam barbarissimi homines pepercerunt. Cum igitur veræ & compertæ reliquiæ, præsertim in his provinciis perpaucæ sint; & multæ ex iis, quæ ostentantur, non temere suspectæ haberi possint, atque illarum frequentatio & veneratio non multum pietati, plurimum vero superstitioni vel quæstui serviant, multo consultius videtur, ut ab omni reliquiarum ostentatione abstineatur, & populus ad veras sanctorum reliquias colendas, id est, exempla virtutum & pietatis, quæ in scriptis vel ab ipsis, vel de ipsis extant, imitanda, provocetur. Hæc Cassander, cujus aureolus libellus, si Fromondo Mallei executores credere velint, ut magicus, rogo, authoris demortui loco, consecrandus erit. Sed ad candelam. Cujus superstitiosos cultores ob sequentes maxime rationes monui. 1. Quod tempore Apostolorum, aut in primitiva Ecclesia, cum multi dono miracula edendi essent præditi, nunquam in cereis miracula edita esse legantur. 2 Quod à virgine Maria Episco Atrebatensi munus hoc datum esse fingatur: ab omni autem veri similitudine hoc alienissimum esse, quisquis sensum communem habet, videt. 3. Quia Patres Gentiles olim reprehenderunt, quod cereos candelasque de die in idolo-

idolororum suorum honornm accenderent. Tertull. lib. de Idolol. cap. 35. Accendant igitur quotidie lucernas quibus lux nulla est: adfigant postibus lauros postmodum arsuras, quibus ignes imminent: illis competunt testimonia tenebrarum & auspicia pœnarum, 4. Quoniam iidem Patres stultos esse putant qui Deo candelas pro munere offerunt. Ita enim Lactant. lib. 6. Divin. Instit. cap. 66. Mentis suæ compos putandus non est, qui authori ac datori luminis, candelarum ac cereorum lumen offert pro munere. 5. Quia ipsi Papani DD. fateri, victi à veritate, compelluntnr, hodie cessare donum miraculorum Episcop. Roffensis advers. Luth. Capt Babyl. part. 4. cap. 10. Nullum his diebus miraculorum effectum cernimus. A costa Jes. lib. 6. de Salut. Jud. cap. 4. Quæ est prædicatio nostra? quæ fiducia? Signa quidem non edimus. Et ib. cap. 12. Nos prodigia, quibus Euangelicas voces confirmemus, nulla producimus. Et hæc quidem de Atrebatensi candela. Quæ siveram amplius quæst. 70. Quid sanctimoniæ situm esser in Josephi anhelitu, qui exceptus esse dicitur ab angelo, cum lignum finderet, & in ampulla conclusus magna cum devotione servatur prope Blesas? Quod cum noster negare non posset, sic palliare laboraverit: Valde, scilicet, ea cura Papam sollicitat, quid in Gallia circa Blesas à mulierculis fit, aut deliratur. Sed sollicitare deberet Episcopum Blesensem, aut saltem parochos, qui in pago illo sacris præfecti sunt. Etenim Epiphanius velum in templo suspensum, Christique aut sancti alicujus imagine intinctum discidit, ut ipse testatur in Epistola ad Joannem Episc. Hierosolym. Et Serenus Massiliensis Episcopus Ezechiæ regis exemplo (de quo 2. Reg. 18. v. 4.) imagines omnes sustulit & confregit. teste Gregor. Magno lib. 9. ep. 9. Aut si Gallicani Clerici officium facere negligunt, cur alii editis scriptis hæc muliercularum deliria non redarguunt? Epiphanius cum cognovisset quasdam mulieres sellam quadratam ornasse, & expanso super eam linteo panem proposuisse, & in nomine Virginis Mariæ obtulisse eas redarguit hæres. 79. ubi hæc inter alia dicit: *Nunc autem clare de ipsa dicemus, & confutationes contra ipsam, pro viribus Deum invocantes, appositurи sumus: quo hujus simulachrificæ* (εἰδωλοποιοῦ) *hæresis radicibus*

 excisis,

excisis, à quibusdam talem rabiem exolvere in Deo possimus. Parum vero esset si prope Blesas bruta hæc idololatria, serviens explendæ avaritiæ Clericorum, tantum toleraretur: quot non locis lac Virginis Mariæ, item Christi lachrymæ ostentantur, & vulgo ad adorandum commendantur? In fano Dionysii prope Parisios inter alias reliquias, ut rarum sanctitatis κειμήλιον, ostenditur laterna proditoris Judæ. Et ne noster hæc omnia inscio Papa fieri clamet, Romæ testibus Hugonio & Onuphrio, in templo Sebastiani ostenduntur lapidi impressa vestigia Christi in cœlum spectantibus discipulis ascendentis: in veneratione sunt arca fœderis, virga Aaronis & Mosis: & quod maxime ridiculum in templo Joannis Lateranensis, testibus iisdem, umbilicus & præputium Christi adorantur: quamvis & hoc æque religiose colatur Charrovii apud Pictones. ne quid dicam de solea calcei Virginis Mariæ, quam si quis osculetur & ter Ave Maria recitet, ex concessione Papæ Joannis XXII. septingentes annos veniæ lucratur: de portiuncula terræ è qua formatus est Adam, quæ adoratur apud sanctæ Catharinæ de Sisco in Corsica, de parte lapidis in quo Christus alloqutus est Samaritanam; cerei, cum quo inducta Virgo in templo est ad purificationem: frustillo lapidis sepulchri Christi; lapide ex monte Calvariæ; ad hoc de crumena Virginis, & Mariæ Magdalenæ, & Catharinæ, quæ omnia in summa veneratione sunt apud Corsos (teste Antompetro Philippino, Archidiacono Marianæ lib. 12. historiæ Corsicæ) sexcentisque aliis nugis. Quid vero de his existimabimus? ejusmodi fallaciæ diaboli & sectatorum illius antiquæ sunt, & jam olim Augustini tempore notæ. Is enim lib. de Opere Monachorum cap. 28. hæc habet: *Alii membra martyrum, si tamen martyrum, venditant.* Vesaniam vero Magister noster prodit, quod suorum plus quam Ægyptiacam idololatriam Hieronymi dicto colorare laborat. Quando enim cap. 13. contra Vigilantium sic scribit: *Quod si aliqui propter imperitiam & simplicitatem secularium hominum, vel certe religiosarum feminarum (de quibus vere possumus dicere: Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, hoc, pro honore martyrum faciunt: quid perdis?* Hieronymus non reprehendit Vigilantium, quod negaret Marty-
ribus

ribus cereos non de die ad honorandos ſanctos, ut fit in Papatu, ſed noctu ad pellendas tenebras accenſos fuiſſe. Verba illius hæc ſunt: *Cereos autem non clara luce accendimus, ut fruſtra calumniaris, ſed ut noctis tenebras hoc ſolatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci dormiamus in tenebris.* At quæ hæc conſequentia, Hieronymus excuſare illos laborat, qui ex ſimplici & non affectata ignorantia, exemplo Gentilium in honorem martyrum cereos accendebant, ergo excuſatione quoque digni ſunt, qui adorant Sanctorum halitum, putatitias ſoleas, præputium, ſimileſque nugas? Item reprehendendi non ſunt Clerici, Epiſcopi, Cardinales & Papa, quod populum melius non doceant, aut doceri curent? Ad hoc, cenſura non ſunt digni, qui diſputant an quis recta intentione colere poſſit oſſa martyrũ in vermes converſa? Jeſuita enim Vaſquez lib. 3. de Adorat diſp. 3. cap. 8. num. 112. curioſiſſime inquirit, An poſſit quis, recta intentione oſſa martyrum, in pulverem redacta, etiam in vermes converſa, colere & venerari: affirmatque ſub certa conditione. Et his quidem inſultibus duos ex velitibus noſtris proſternere laboravit Doctor: reliquas nonaginta ſeptem quæſtiones, tali Thraſonum crepitu (ridete omnes, qui ſplenis motus ſentitis) difflare laborat: Cæteras ejuſdem farinæ aut nequioris pulveris quæſtiones: de nupero S. D. N. Urbani VIII. morbo: de S. Rochi canonizatione: de metu Papæ non audentis amplius controverſias definire: de Gregorio XIII. qui ſtrabonibus videtur in quadam Epiſtola, traditiones agraphas negare: de foramine cathedræ Papæ, & ſexcentis aliis aut nugis, aut ſycophantiis, quis oculorum tam patiens, ut ferat huc reſcribi, & in aſpectum redire? At quis ita patiens, ut emat ejuſmodi pharmacopæorum merces, in quibus non theologus diſputat, ſed Plautinus miles, ſuum ἀνοίας φρύαγμα plenis pelvibus effundit. Per me ſibi ipſi Doctor plaudat, quo magis ſtrepit, eo apertius ignorantiam ac ignaviam ſuam prodit,

Virtutis expers, verbis jactans gloriam,
Ignotos fallit, notis & deriſui.

Ego contra Boream flare nolo, nec ſcripti mei laudes prædicare: hoc enim

Μαγίαισιν ὑποκρέκει: ut eleganter alicubi Pindarus ait. Antequam vero pergam, à ſtraboniſmo, quem Adverſarius objicit, purgare me debeo. Dixeram quæſtione prima Gregorium XIII. Pontificem obloqui Concilio Tridentino Traditiones non ſcriptas juxta Scripturam collocanti, item praxi quotidianæ, qua vulgus in Papatu à ſacrarum literarum lectione arcetur, idque probaveram ex Epiſtola ipſius ſcripta ad Philippum II. regem Catholicum præfixa tomo primo Bibliorum Regiorum: an legitime & bona fide, quotquot homines eſtis, arbitramini. Verba Pontificis loquentis de libris Veteris & Novi Teſtamenti hæc ſunt: Nam quod ad Theologiam attinet, quæ eſt ſumma Philoſophia, his libris omnia noſtræ Religionis, & Divinitatis myſteria explicantur. Quod vero attinet ad eam partem, quæ Moralis nominatur, hinc quoque omnia ad omnes virtutes præcepta colliguntur, quibus quidem duabus partibus omnis noſtræ ſalutis, & felicitatis ratio continetur, ut nihil poſſit eſſe horum librorum lectione dignius, nihil fructuoſius, nihil omni hominum generi accommodatius, nihil majori doctrina & ſapientia refertius. Quis tantas à glaucoma patitur moleſtias, ut non videat expreſſis verbis ipſum Pontificem docere ſcripturam eſſe ſufficientiſſimam, ac conſequenter præter neceſſitatem urgeri Traditiones, item omnes ejus lectioni, citra diſcrimen perſonarum, jugiter debere incumbere. Non credo adverſarium noſtrum adeo ovem eſſe, ut hoc non animadverterit: quam hæſerit enim circa Pontificis verba hinc apparet, quod ea deſcribere in gratiam ſuorum gregalium non fuit auſus. Ubi eſtis Sophiſtæ, & Quintiliani diſcipuli, excutite arculas, ſi forte in iis colorem quem inveniatis, quo hæretica & ipſi Conciliabulo Tridentino adverſantia Pontificis verba obducere poſſitis? Quam ridicula enim & puerilis collocutorum Tanneri & Gretſeri in colloquio Ratiſbonenſi reſponſio, dictum hoc propterea non poſſe officere traditionibus: quod cum dicit ſummus Pontifex, omnia ad omnes virtutes præcepta, intelligendum quoque eſſe illud, Matth, 18. ſi Eccleſiam non audierit, &c.

& Luc.

& Luc. 10. Qui vos audit, &c. Quasi vero vel duo ex antiquis Patribus, qui inter trecentesimum à Christo nato annum vixerunt, duo illa intellexerint aut de Domino Deo Papa, aut de traditionibus. In Quæstionibus dixeram Papam non audere hoc tempore amplius controversias decidere: quod quia noster negare videtur, lubet in gratiam eorum, quibus Septicollis Bestia venenatum suum vinum propinavit, paucis deducere & probare. Quam in Hispania multos per annos ferventissimis studiis de Virginis Mariæ conceptione certatum sit, quibusdam asserentibus eam in peccato esse factam, aliis negantibus, quis est qui ignoret? Quanquam vero Rex Catholicus sæpius à Pontifice arduæ illius controversiæ decisionem efflagitavit, nihil tamen obtinuit. Cum enim Anno 1617. Romam misisset Placidum & Tolosantem, Paulus V. hoc tantum decernere ausus est: ut nullatenus affirmativa sententia, ad quam populi & fideles scandalisabantur, & irritabantur, amplius proponeretur in publicis actibus, nec diceretur è Cathedra, nec prædicaretur è suggestu, nec disputaretur in Thesibus. Simulque graviter & severe cavit, ne ab aliis impugnaretur, aut nominaretur, ullaque ipsius fieret mentio. Sed cum ambiguo & vere λοξίῳ statuto Papa classicum cecinisset, rex coactus est Romam ablegare Antonium à Trejo olim Minorum Generalem, qui quamvis omnes loquentiæ & eloquentiæ ληκύθους profuderit, & omnes dicendi arculas excusserit, oblatis ad hoc octo prolixis Orationibus, quibus per omnia sacra durum & obfirmatum Pontificem est obtestatus, ut finem contentioni imponeret, & secundum recte sentientes tristissimam litem decideret, re tamen infecta discedere est coactus, & ex Paulo (Papam vocare non audeo) audire, *quod postulabatur ex illorum genere non esse, quæ diligentia humana clauduntur, vel quæ ob necessitudinem aut mundanas instantias, aut regum potentias liceat illico concedi, donec Spiritus ex alto infuderit, quod in controversia gravi & diuturna, graviter & mature debeat deliberari*. Post Antonium Albuquerquius missus diu ante Romam, sed de integro confirmatus à Philippo IV. parentis demortui successore sæpius eandem ob caussam Pontificem adiit, sed surdo cecinit. Cumque metueretur inter Hispanos Theologos

Schisma: ægre tandem à Gregorio XIII. Pauli successore confirmationem præcedentis decreti ac amplificationem ad colloquia non instituenda de negativa sententia legatus impetravit: ad decisionem enim, infallibilis scripturæ interpres non fuit ausus accedere. ut enim ipse ait in Brevi suo misso anno 1622. 4. d. Junii ad Philippum IV. *Ne quid novi in re tanta decernatur in præsentia, monet tum negotii magnitudo, tum Romanorum pontificum prædecessorum exemplum. Spiritus sancti enim voci auscultare, non humanarum rationum ponderibus rem examinare debemus, qui in Christianæ sapientiæ Cathedra Christiano orbi à Deo positi sumus. Quare cum nondum æternæ sapientiæ Ecclesiæ tanti mysterii penetralia patefecerit, in Dei Romanorumque Pontificum authoritate debent fideles populi conquiescere.* Et sic quidem Pontifex eo tempore se expediit, aut verius deridendum propinavit. Ut pluribus narrat Lucas Waddingus Hibernus Minorita in libro editi Lovanii anno 1622. Nunquam autem adduci poterit, ut in gratiam Franciscanorum & Jesuitarum Mariam à peccati Originalis labe illabatam fuisse contra Dominicanos pronunciet, ab iis enim errorum ac deliriorum sine numero argueretur. Intercedant licet omnes Reges Christiani Orbis pro Minoribus, ob politicam rationem, quam tetigi, non tamen eos audiet, sed æque contemnet ac utrumque Philippum, & Ferdinandum II. Imperatorem, qui Anno 1625. frustra idem ardentissimis precibus efflagitavit, teste Lamor. in vita ejus cap. 7. Quid dicemus? Quonam abiit Spiritus Jehovæ à Tzidkija? 1. Reg 22. v. 24. Et quantum præsens Dominus Deus in terris mutatus ab illo, qui gloriatur; Omnes sanctiones suas esse accipiendas tanquam ore Petri firmatas. Dist. 19. c. 2, Sic omnes. Literas suas haberi pro authenticis. Dist. 16. c. S. sancta. se magis debere audiri, quam Christum in sacris paginis loquentem. Dist. 40. c. 6. Si Papa. Sibi soli jus esse interpretandi pro libitu Scripturam? Caus. 24. q. 1. c. 12. Quoties. Quam diversus à Bonifacio, qui jura omnia in scrinio pectoris sui censebatur habere? Bonif. VIII. de constit. c. Licet. Ubi nunc ille Christi vicarius, quem Gnatones sequentibus elogiis condecorant lib. 1 cerem. Rom. Curiæ, sect. 7. p. 6 p 85. Papæ data est omnis potestas in cœlo & in

terra. Dominatur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis. Boz de jure Nat. & Div. Eccl. lib. pot. l 1. cap 13. p. 64. Chriſtus poteſtatem ſuam communicavit Papæ. Id ib. in Epiſt. ad Petr. Aldrobandinum Cardin. Papa eſt fidelium & infidelium Paſtor ſummus. Moſcon, de Majeſt. Milit. Eccl. l. 1. part. 1. cap. 1. p. 32. Papa eſt princeps Epiſcoporum, hæres Apoſtolorum, primatu Abel, gubernatione Noah, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moſes, judicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus. Id. ib p. 24. Papa eſt ſummus & maximus, quia habet plenitudinem poteſtatis. Et p. 27. Si totus mundus ſententiaret contra Papam in aliquo negotio, ſtandum tamen eſt ſententiæ Papæ. Iterum ap. eundem p. 25. & 26. Papa eſt rector domus Dei, Doctor omnium Chriſtianorum, Sponſus Eccleſiæ. Ib. cap. 4. p. 100. Miniſtrorum ſpes, pupillorum tutor, cœcorum oculus, mutorum lingua, ſenum baculus, ſcelerum ultor, tyrannorum malleus, regum pater, ſacerdos magnus altiſſimi Dei, & lex vivens. Et iterum: Papa eſt juſtitiæ forma, ſanctimoniæ ſpeculum, Doctor gentium, refugium oppreſſorum, pauperum advocatus, miſerorum ſpes, judex viduarum, gloria bonorum, Chriſtus Domini, & Deus Pharaonis. Item lib. 2. p. 4. cap. 1. p. 636. Caput eſt ſpiritualis & temporalis poteſtatis. (NB. Iſidorus Moſconius de Majeſtate militantis Eccleſiæ, excuſus eſt Venetiis 1602.) Joan. de Turrecremata lib. 2. Summæ cap. 27. Papa eſt unicus ſponſus, caput indiviſum, generalis & plenus Chriſti vicarius Et ante cap 26. Papa non eſt omnino aliud caput diſtinctum à capite quod eſt Chriſtus, ſed eſt ejus vicarius, & vocem ejus & perſonam, auctoritatem & poteſtatem repræſentans in terris: & ejus judicium judicium Dei reputatur, & ſententia ejus & conſiſtorium conſiſtorum Dei. Et lib. 2. Summæ cap. 80. Unum eſt tribunal Chriſti & Papæ. Martinus Ferdinandus ab Inciſo apud Petrum Ciezam tom. 2. hiſtor. Peruinæ cap. 69. Chriſtus conſtituit Pontificem Romanum, qui loco ipſius in terris Sacerdos Sacerdotum, Pater Patrum, Rex omnium Regum foret. In manu Papæ ſunt animæ hominum, & in ejus arbitrio religio conſiſtit. Papæ! quod miraculum eum cui talia competunt, non

non posse decedere unam controversiolam. Quid existimatis regem Catholici & Imperatores? Ne quis vero existimet Pontificem circa unicam tantum quæstionem hærere ac fluctuare, alterius exemplum notatu dignum ex Guilelmi Camerarii Scoti è Societate Jesu disputationũm Philosophicarum parte 2.q.10.d.1. referam. Quinquaginta aut præter propter anni sunt quod Salmanticæ in Hispania Jesuitæ docere ceperunt non requiri concursum prævium prædeterminantem virtutem activam creaturæ ad agendum: quibus se opposuit Dominicus Bannes Dominicanus, primarius tunc in ea Academia Professor, doctrinamque novam edito libro convellere aggressus est. Cui acerrime se opposuit Molina libro item edito, & paulò post Antonius de Padiglia Vallisoleti Theologiæ Professor publicis conclusionibus Molinæ doctrinam, ut probabilem defendens. Bannes, reliquique fere omnes Theologi, novam doctrinam pullulare videntes, rem ad Senatum Regium deferunt, & tandem anno 1597. ad Clementem VIII. summum tunc Pontificem, cujus jussu, primo coram Cardinalibus, deinde coram ipsomet, hac de re ab utriusque familiæ Theologis diu disputatum fuit. sed cum Pius Pontifex sententiam admittentem prædeterminationem veram esse definire meditaretur, variis maximisque negotiis impeditus usque ad mortem quod animo agitaverat, perficere non potuit. Unde illo defuncto revixit controversia sub Paulo V. ejus successore, qui tandem statuit, *ut utriusque sententiæ, id est, tam negantis, quam affirmantis prædeterminationem, authores, suam sententiam, citra ullam tamen censuram contrariæ partis, defenderent, donec aliquid hac de re ab ipso, vel ejus successoribus statueretur.* Et sic & hæc quæstio à meticuloso Pontifice, aut potius percocto Sisypho decisa non est; nec unquam decidetur, ut vere hariolatus est Pontificiarum stropharum intelligentissimus Bellarminus, de quo ex re est audire lepidam narratiunculam, quæ sequentibus verbis à Jesuita Petra sancta in vita ejus lib. 6. cap. 7. refertur: *Cum aliquando in æde S. Marcelli Cardinalis à Monte solennibus sacrorum interesset, id temporis quo Clemens VIII. Pontifex adhuc viveret, dixit Cardinali Bellarmino, qui item aderat; Deliberatum est Pontifici tandem pronunciare in opiniones de auxiliis gratiæ*

Dei,

Dei, n tas inter Patres Dominicanos & Patres Societatis Iesu, tum Bellarminus, hoc enimvero, inquit Clemens Pontifex nunquam definiet; excepit ille, atqui & potest & vult; qua igitur ratione, inquit, hoc non definiet? Bellarminus rursus. Pontificem & posse & velle haud inficior, pronuntio tamen fore ut non definiat; imo si moliri hoc velit prius eum vita deseret. E quibus quamvis Jesuiticus author probare laboret Cardinalem Bellarminum spiritu Prophetico fuisse præditum, omnes tamen qui cor habent, facile colligunt purpuratum Jesuitam innuere voluisse, hoc seculo Pontificem ob politicas rationes non posse amplius tam arduas controversias decidere, nisi labefactare velit sedis suæ fulcra, & amicos ejus propugnatores, inimicos habere. Et hæc dicta sufficiant, de hac quæstione, quam nisi noster Magister attigisset, hac vice fusius non deduxissem. Quam strenuus vero duellator sit, dein innuit, cum ait: *Certe ne manum meam amplius exspectate; sat multa seria habeo ad quæ extendam, nec mihi otium cum scurris & larvis illis luctari.* Sed re adhuc integra, calamum morosophiæ proditorem, abjecissem? Conviciis haut moveor. Sufficit mihi, quod supinam tuam ignorantiam, & sycophantias, utroque pollice multis è vestris faventibus, detexi. E gnatonibus tuis si quis secus existimet, contra eum Homericum illud usurpo:

Οἷος ἐκεῖνος·

Δεινὸς ἀνὴρ τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο.

CAPUT X.

Magistratus Reformati neminem unquam capitis supplicio affecerunt ob dogma aliquod formaliter Papisticum. Non Reformatorum sed Papistarum religio sanguinaria est. Speculum tyrannidis Hispanicæ in Belgio exercitæ: eam agnoscunt Famianus Strada & Campanella. Frustra est adversarius quod excusare laborat proditores Clericos urbis Trajecti ad Mosam. Quales Papani & Iesuitici martyres sint. Papæ laudant parricidas. DD. Præpotentes Ordd. fæderatæ Belgicæ haut similes phalaridi sunt. Cur Clerici proditores quæstionibus subjiciendi sint. Dominicani Wesalienses aliiq; pontificii agnoscunt clementiam Potentissimorum DD. Ordd. D. Voetius non solet concitare Magistratus in clericos: cur à Trajectinis Magistratibus proscriptus sit Pater Wachtelarius. Author nunquam excusare voluit insolentiam militarem Thienæ commissam. Qualis confessionariorum & Iesuitarum sit sanctimonia ac castitas liquet è patre Cottono, Iesuitis Augustanis, & Petro Arrea Burdeo Tholosæ securi percusso aliisq;. Primi Reformatores non ab adversariis in congressibus & disputationibus interrogati sunt qui essent, & undè venirent. Vere dixit author adversarium in Crisi nullam replicam adferre potuisse. Graphicè Adversarius authoris verba detorquet: ille sui proditor est. Papani secundum Iesuitam Vasquez diabolum adorare possunt; involucra adversarii omnia explicantur. Idem Vasquez docet licere Deo in brutis animantibus & rebus sordidis exhibere notam submissionis. Solide probatur Papanos adorare frustrum panis, quæ extrema dementia execranda idololatria est. Vasquez hostiam consecratam è sterquilinio erutam adorari vult. Frustulo panis Papanos vim expiandi peccata tribuere probatur. Rectè ab authore citatus est Bellarminus: injuriam grandem ei facit adversarius. Bellarminus sæpe seipsum prodit. Lutherus non dicit Oecolampadium diaboli ictibus fuisse interfectum. Zwinglius non fuit pugnandi ergo castra secutus: Bernenses non eliminarunt ditione

sua

sua Calvinisticam fatalitatem, nec hoc dicit Balduinus. Papa secundum Corn. à Lapide imperat Trinitati. S. Franciscus est successor Luciferi. Cottonus ex diabolo quærere voluit, è quo Scripturæ loco purgatorium posset probari. Author verum dixit de Corn. à Lapide, nec ullam adversario suo fecit injuriam.

DE Crasso alicubi Plutarchus refert, quod avaritiam in omnibus redarguere soleret, quamvis bipedum avarissimus esset. Sub eodem sidere Adversarius noster natus videtur: tota illius Crisis non nisi mendacium ac ignorantia est: (ut sub finem hujus libelli per indicem Lectorem iterum docebo) quod ne Lectores credant, mihi insonti detortis pauculis Desperatis. Caus. commatis familiaria sua vitia affricare laborat.

An non

hic nigræ succus lolliginis, hæc est

Ærugo mera?

Quæso animadvertite Lectores. Capite nono Epistolæ, *primo* ut mendax à Cretensium ædile traducor, quod dixi *à temporibus Lutheri usq; ad hunc diem neminem à Reformatis Magistratibus capitis supplicio esse affectum ideo quod Papanam religionem amplecteretur.* At hoc certius est quam ea quæ apud Sagram: quem admodum cap. 5. Desperatis. Caus. fusius probavi, respondendo ad ea quæ vulgo à Pontificiis nostratibus de Franciscanis Goricomiensibus & Cornelio Musio jactari audiveram. Quod ibi dixi, hic iterum dico. Si possit, falsi verissimam assertionem Magister noster arguat. Quæ addit enim principium petunt, & Siculis gerris vaniora sunt. Innumeri, inquit, innocentes, solo Catholicæ religionis odio, sævis & tragicis exemplis plurifariam oppressi, vidente & consentiente Reformato Magistratu. Vide quæso Theatrum crudelitatis Hæreticorum nostri temporis, impressum Antwerpiæ anno 1587. Pete ergo ex his Volusii annalibus nunquam à nobis visis exemplum aliquod, per Dei gratiam cum Lentulo suram. Qui ludos facere vult & decipere, hæret in generalibus. Thesin nostram falsi si arguere voluisses & me ψευστίζειν, unum saltem Papæ martyrem à Reformatis Magistratibus supplicio

 affectum

affectum ob defensionem dogmatis formaliter Papani, laudasses. Sed nunquam hoc facere poteris. Quæ dein enim dicis: (Annales seculi elapsi pleni sunt: & nos hisce auribus à patribus nostris, quæ viderant & senserant, audivimus.) responsione indigna sunt. Pudet me vero Cathedræ Theologicæ Lovaniensis, quando ejus possessores in publicis scriptis ita ineptire video. Thesin nostram si eversam cupis, ex obscuro illo tuo Theatro specialia exempla profer, aut alia quondam à parentibus tibi relata. Expendemus ea. *Secundo* in Cretam ablegor, quia dixi *clementiam & mansuetudinem doctrinæ nostræ Papanos volentes nolentes agnoscere compelli,* & ut omnes jure exilii pœnam irrogatam fuisse videant, hanc rationem addit: *Sanguinaria, crudelis, sæva est doctrina vestra; inter nitrum & sulphura tormentorum nata, similibus etiam pascitur.* Sed nosne, qui frustra tot per annos scutum opposuimus, primi infestis mucronibus jugula Hispanorum petiimus? Quis dicere ausit? Vim vi repellere coacti sumus: at quis illud, quod natura ipsa docet probatque, improbare ausit? Bellum gerimus, quia nobis quietis per hostes esse non licet. Non nos, sed Papa armis concionari solet. Ille, & quicunque eum sequuntur sanguinem innoxiorum sitiunt. Loquuntur Belgium, Germania sanguine adhuc innudata, utraque India, Gallia, Britannia, & quæ non terræ? Nemo ex nostris Theologis unquam cædes, aut lanienas probavit, sed semper detestatus est. Iis Papæ, & Cardinales martyrum sanguine purpurati, delectari solent, cum Carolus IX. Galliarum rex omni ratione excusare ac palliare laboraret lanienam in nuptiis Parisinis è Guisiorum, aut potius Papæ, consilio, editam, sacerrimus Phalaris Gregorius XIII. cum Cardinalibus recta ad B. Marci concessit & D.O.M. pro tanto scilicet beneficio, sedi Romanæ orbique Christiano collato, gratias solemni ritu agere non dubitavit; imo Muretus parasitus ejus dirum facinus coram regiis legatis Romæ laudare ausus est, teste Thuano lib. 53. Si possis, simile exemplum lauda. Nec Papa solus tam sanguinis avidus, sed quotquot eum adorant. Hinc Maffæus Comment. super Epist. Judæ, non videre se, ait, aliud consilium vindicandæ libertatis & auctoritatis Ecclesiæ Romanæ, quam ut urbes hæreticorum funditus primum evertantur.

tantur. Hinc & Jesuitæ Colonienses in Censura optant, ut Lutherus statim in principio, quando Ecclesiam Romanam oppugnare cœpit, è medio sublatus fuisset. Et miser Apostata Gasper Schioppius in Classico, quod cecinit Anno 1619. cap. 1. quia forte hæc legerat in jure Canon. Causs. 11. q. 3. cap. 15. non dignus est, qui solis luce fruatur, cui Papa inimicus est, ita cap. 1. Imperatorem Ferdinandum II. alloquitur: Si una urbium fuerit inobediens, & jugum Episcoporum abjecerit, ut novam religionem sectetur, non acquiescens iis, quæ docent sacerdotes, statim percuties habitatores ejus urbis ore gladii, & delebis eam; etiam parvulum & lactantem, qui hoc modo servantur, adultiores facti Patrum scelere implicentur. Et paulo post: Witebergam in tumulum dissipabis, & igne succendes, Lutheranismum in transmigrationem duces, in Germania exterminabis prædicantes ejus & principes ejus simul. Atque hæc est mansueta illa factio Romana! quæ dogmatum suorum praxin abunde adhuc hodie in Hibernia proponit. Qua de caussa autem Pontificii Clementiam doctrinæ nostræ probare debeant, abunde in Desperatis. Caus. docui, quæ non exscribo. Sed pergit infelix Historicus: Seculi præteriti, & quæ huc usque penetrarunt bella, & flumina sanguinis, quæ fudit (doctrina vestra) faciunt fidem. Quæ ergo per insolentiam militarem, frementibus ducibus, Ecclesiæ ministris, & nobis omnibus, alicubi commissa sunt, imputanda erunt doctrinæ nostræ? At quantula delicta à nostris inter Martios furores commissa, si componantur cum tyrannide & licentia Hispanorum, quam rex & Papa non tantum permittere, sed sæpe imperare solent. Loquatur Nardenum, anno 1572. imperante Federico Albani filio in bustum conversum, indignante & fremente ipso Famiano à Strada Jesuita lib. 7. ubi ita de eo: Nam etsi id oppidum, ob fœdam defectionem, susceptumque contempta atque illusa religione patrocinium hæreticorum, singularis animadversionis exempla meruerat, super hæc tamen ultio visa est: & trucidatis omnibus quamquam imbellibus innoxiisque, consumptis incendio domibus, mœnibus solo æquatis, non pœna sed flagitium fuit. Nihil dico de Roterodamo, Zutphania, Aquis veteribus, Harlemo, & innumeris illis ro-

gis, quos tot millibus Albanus ſtruxit. Et tamen noſter provocare audet ad præteriti ſeculi res geſtas? Non ita Vecors Famianus à Strada, ſuorum culpam fateri mavult, quam contra ſolem loqui. In veſtibulo enim lib. diſſerens de cauſis tumultuum Belgicorum, ita loquitur: Milites Hiſpani, licentia, rixiſque (uti fit) in limitaneis præſertim urbibus, per quas diſpoſiti erant, non parum irritaverant animos popularium. Ex quo in eos odium, inque Regem indignatio univerſo fere Belgio concitata. Sic & Campanella lib. de Monarchia Hiſpanica, enumerans errores à rege Hiſpaniarum in Belgii regimine commiſſos: His erroribus, inquit, adjuncti fuerunt alii, circa belli adminiſtrationem commiſſi: nam Rex ipſe, quamvis ab illis maxime amatus, nunquam tamen ipſe in bellum profectus eſt, ſed Capitaneos Hiſpanos ſævos illiſque infenſiſſimos ſuo loco exire juſſit. Animadverte bone Magiſter, & ſi potes vel unum crudelitatis militaris exemplum injuſtum ob cauſſam à ſupremis provinciarũ fœderatarum moderatoribus imperatum, adferto: de Comite Lumæo in Deſperatiſ. Cauſ. in anteceſſum fuit reſponſum. Nuperum enim exemplum, quod proximis verbis adfers, quam te proſtituit, ſic autem loqueris: *Papæ, quam manſuete & molliter nuper ad carbones Leodienſes calefacti à veſtris viri illi religioſi & inſontes Moſæ Trajecti!* Quid audio? inſontes fœdifragi illi Pœni, qui anno 1637. cum Johanne Lantman urbem Moſæ Trajectum Hiſpano tradere, omneſque præſidiarios cum uxoribus & liberis leonum luporumque prædæ ac lanienæ offerre decreverant? Vah Lovanienſem Doctorem, qui Jeſuita profeſſione non eſt, ſic exiſtimare! Ergone licet apud vos juramentis ut aſtragalis ludere? patreſque paterrimi lingua tantum jurant, mentem autem injuratam gerunt? Si hi, quos juſtiſſimus ſcelerum vindex debito ſupplicio ſuſtulit, inſontes & religioſi habendi, etenim regni cœleſtis hæreditatem adituri ſunt, qui ſecundum Apoſtolum 2. Tim. 3. v. 3. 4. ſunt charitatis expertes, implacabiles, calumniatores, intemperantes, immites, minime amantes bonorum, proditores. His enim vitiis ſaburrati plerique Jeſuitarum ac Monachorum: nominatim illi, quos carnificis gladius, ob diram perfidiam ac proditionem Moſæ Trajecti capite

minuit,

minuit. Si tamen homini huic credere volumus, hi religiosi insontesque fuerunt, ac per consequentiam martyribus accensendi: non antiquis autem illis, sed novis in ordine Jesuitarum. Puta Campiano, quem ob machinationes & conspirationes contra serenissimam Reginam Angliæ Elisabetham suspensum inter cœlites martyresque retulit Esthius Professor Theologiæ Duacenus: Jacobo Clementi, percussori Henrici III. Galliarum regis cujus nefandam cœdem Sixtus V. in oratione edita Parisiis comparavit *cum mysteriis incarnationis ac resurrectionis Iesu Christi*: Garneto suspenso in Anglia, quod conscius esset proditionis pulvereæ, cujus innocentiam asserere frustra laboravit personatus Eudemono Johannes, h. e. Johannes l' Heureux Jesuita: Balthasari Gerardo, à quo instigato à Jesuita Trevirensi occisus est Pater Patriæ nostræ Guilelmus Nassovius princeps immortali gloria dignus, qui ob sathanicum hoc facinus, si Levino Torrentio quondam Antverpiensium Episcopo credimus:

Morte inserendus cœli colum choris
Aeterno ab omni labe puram
Reddit ovans animam parenti.

Guiguardo Jesuitæ Anno 1595. Parisiis suspenso, quod discipulis multa de ratione interficiendi tyrannos dictasset, qui à Jesuitis in collegio Fliscensi in grandi tabula cum Garneto, Oldcorno & Campiano inter martyres depictus est, fidem facientibus multis testibus oculatis: Michaeli Renichon ex comitatu Namurcensi sacerdoti Hagæ-Comitis supplicio affecto ob tentatum caput principis Mauritii: Petro Panne, Lugduni Batavorum securi percusso, quod decrevisset incomparabilem Heroa Principem Mauritium honorandæ memoriæ è consilio Jesuitarum Duacensium interficere, qui ei si forte occideretur, *gradum gloriæ eminentem in paradiso* promiserant, teste Joanne Francisco Petit in Hist. Belg. lib. 6. ad annum 1598. & denique omnibus illis, qui cum Joanne Chastello Jesuitarum discipulo unquam fuerunt in mystica illa *Camera meditationum*, ubi non Jesuitæ tantum, sed & alii Clerici (recens adhuc memoria Patris Joannis Ottonis Emricensis) obliti juramenti quod præstiterunt, dira consilia contra legitimos

mos magiſtratus, quibus obſequium debent, ſine miſſione agitant. Si hi innocentes, neſcio qui ſontes ſint habendi. Non mirum autem ſic videri noſtro! Jam olim Ammonius Monachus è monte Nytra percuſſor præfecti Alexandrini Oroſtis juſte inter tormenta occiſus, Martyr haberi cœpit a quibuſdam. Socrat. l. 7. Hiſt. Ecc. c. 14. Item Gregorius I. ultimus bonorum, ut quidam volunt, aut potius mediocrium, Paparum, auſus eſt gratulari Phocæ, Mauritii Imperatoris, cui fidem juraverat, interfectori. Sic enim ad eum ſcribit lib. 11. ep. 36. Benignitatem pietatis veſtræ ad imperiale faſtigium perveniſſe gaudemus. Lætentur cœli & exultet terra & de benignis veſtris actibus univerſæ Reip. populus hilareſcat. Gregorium ſecutus eſt Sixtus V. in Oratione cujus paulo ante facta mentio eſt: quam excuſam Lutetiæ anno 1590. ſequentibus verbis obſignat; Propter hæc & ſimilia manifeſta impœnitentiæ judicia decrevimus pro ipſo non eſſe celebrandas exequias. Non quod præſumamus quidquam ex hoc de occultis Dei erga ipſum judiciis, aut miſericordiis, qui poterat ſecundum beneplacitum ſuum in ipſo exitu animæ ſuæ convertere cor ejus, & miſericorditer cum ipſo agere. Sed iſta locuti ſumus ſecundum ea quæ nobis exterius patent. Faxit benigniſſimus Salvator noſter ut reliqui hoc horrendo juſtitiæ ſupernæ exemplo admoniti, in viam ſalutis redeant, & quod miſericorditer hoc modo cœpit benigne proſequatur & perficiat. Et ita quidem Papa inſultat interfecto à ſacerrimo monacho Henrico III. Quid videtur vero vobis, qui Chriſtianorum filii haberi vultis? an non ultimo judicii die contra eos ſurget Papinianus Juriſconſultus Ethnicus, mori enim maluit, quam Baſſiani Caracallæ parricidium excuſare? Item Marcus Tullius Cicero, cujus hæc verba ſunt lib. 3. Off. *Quod ex animi tui ſententia juraveris, ſicut verbis concipitur, more noſtro, id non facere, perjurium eſt?* Adverſarius noſter novos ſuos Martyres conſcriptos ex tribu proditorum calefactos fuiſſe ait ad Carbones Leodienſes, utque judicibus invidiam creet, ſequens ἐκφώνημα addit: *Simili clementiâ Agrigentinos ſolitus Phalaris calefactare in ſuo bove.* Quo reſpiciat neſcio: niſi forte ad illud tormentum, excogitatum à populari ſuo carnifice Leodienſi, de quo in ſtrepitu aliquando,

quando, (nescio an citra errorem) audivi, in animo habuerit, quo obfirmatis durisque pectoribus veri confessio extorta fuisse perhibetur. Sed quis neget licitum esse quæstionem de facinerosis habere, & veritatem fidiculis extorquere. Lessius Jesuita, quondam Professor Lovaniensis lib. 2. de Iustit. & Iure cap. 29. n. 151. Torturam adhiberi posse ad confessiouem, est consentaneum rationi naturali. Si enim non posset, improbi audacter & impune peccarent, damna & injurias aliis inferrent, quando putarent se testibus, vel externis indiciis non convincendos. Cum vero vident ex indiciis vel uno teste tormentis subjiciendos, se continent. Accedit, quod pleraque maleficia gravissima non possent puniri; quia paucis vel nullis consciis committuntur, cum tamen id ad bonum Reipublicæ sit necessarium: alioquin omnia sceleribus & sceleratis essent plena. Hæc Lessius. Ubi autem in jure civili Clerici excipiuntur? nisi forte propterea cum gravidis fœminis præ aliis nebulonibus prærogativam mereantur, quod semper divis machinationibus contra Principes & Resp gravidi & sabarrati incedunt. Porro judices, qui de proditoribus hisce cognoverunt, ideo lenissimum ignis tormentum adhibuerunt, quod scirent rasum gregem execrationibus & pertinacissimis negationibus, frustra reclamante conscientia, diluere consuevisse scelera, quorum manifestus habetur: ac Jesuitam Aubignii, (teste Pontificio scriptore in Anticottono) imposuisse parlamento Parisiensi, venditando donum oblivionis, cum à Ravillaco conscius regicidii constanter argueretur. Tortor quando amiculam vellit, quæ in uno memoriæ fundo sepulta sunt, in apricum veniunt, oblivionis ars, cujus habitus nullus est, evanescit: Progreditur. *Tertio.* Dixeram in Desperatis. Caus. multum magistratibus nostris Papanos sub eorum ditione viventes debere, *quia ab eis tolerantur, defenduntur, jura civitatis accipiunt, & alicubi beneficiis ornantur.* Quod cum ipsa veritate verius sit, Adversarius tamen noster pro mendacio habet, & ita quidem more suo diluere laborat: *Valde scilicet.* Imo maxime. Audi Dominicanos Wesalienses, item cives pontificios degentes Wesaliæ & in civitate Buderick. Obtulerunt illi Celsitudini suæ, Illustrissimo principi Auraico anno 1635. mense Julio

libellum ſupplicem, in quo dicunt, ſupremas poteſtates Catholicas, tum ſpirituales tum ſeculares hodie eandem diſcretionem & bonum favorem impartiri conſortibus religionis reformatæ, quem concedit Celſ. ſua in hæreditariis ſuis regionibus, & Potentiſſimi Ordd. in ſuis provinciis, qui tanto rigore non procedunt contra Catholicos, ſed cum diſcretione tolerant, permittuntque eis blande catholicis exercitiis frui. Ita enim ſonant Belgica verba, verbotenus reddita. Utris autem credam vicinis Weſalienſibus, an Sycophantis Lovanienſibus? illis malo, quia veritati litant, ac cum ratione loquuntur. Sed & noſter rationibus inſtructus videtur? ſic deinde enim fabulatur: Quaſi ignoremus, quid vos, ô clementes miniſtri, in Conſiſtoriis veſtris adverſus catholicos ſacerdotes machinemini. Nonne Ultrajecti exemplum jam in manibus, quod tu, mi Voeti, fabricaſti? Itane? Voetius, qui rariſſime in curia videtur, magiſtratui author fuit excutiendi archiva, & myſticas bullas tenebrionis Rovenii, qui ſe pro Trajectenſium Epiſcopo gerit? Quis tibi hoc ſcripſit? Credulus nimis es, & quibuſvis fabellis aures commodas. At quæ tandem Ultrajectenſium flagitia? Exilium decreverunt Patri Wachtelario populari meo, eique opimum Canonicatum ademerunt, quia per ſuos ante annos aliquot cum legato Regis Hiſpaniarum Romæ degente egerat, ut Pontifici perſuaderet conſultum non eſſe in fœderatas provincias ex Brabantia ac Flandria Jeſuitas mitti, per horum enim fervorem turbari conſilia eorum, qui promovendis regis partibus ſtudent. At quis ita depuduit, ut tanti criminis patrocinium ſuſcipere velit? Si tanta Wachtelario innocentiæ fiducia, cur toties citatus non comparuit, crimenque diluit? Reus ſi fuit, cur non & pœnas penderet? Niſi forte raſis illis capitibus omnia licere debeant, magiſtratuſque noſtri videantur veniam eis dediſſe quaſcunque conſpirationes fabricandi, quando civis beneficia conceſſerunt. Dic mihi, quem è ſacrificulis modeſtiæ & quieti litantibus Ephori noſtri finibus ſuis unquam ejecerint? Si dicas expelli eos, qui miſſificantes deprehenduntur, eo ipſo eos perjurii arguis, hoc enim ſe non facturos promittunt, qui civis beneficia impetrant? Cur vero eos toleraret Chriſtianus Magiſtratus, qui ex officio

officio omnem idololatriam ac idololatrica instrumenta finibus suis exterminare debet? Nec ad rem facit, quod nulli alienigenæ, advenæque Jesuitæ, ac Monachi ex factione Hispanica aut saltem partium Castellanarum absque salvo conductu venientium ex vicinis provinciis tolerentur. Exploratores illi sunt, & magnam partem proditores, qui Zonas, quas vacuas adferunt, plenas semper referunt, pecuniamque ad alendum contra nos bellum, aut hoc illudve cœnobium vel templum extruendum inter dativos nostros Catholicos caudatos cogunt. Ad nos quantum, classicum nunquam cecinimus, magistratusve concitare laboravimus contra Pontificios inter nos viventes ac modestiæ non obliviscentes, cum quibus parati semper sumus civilem amicitiam colere, imo colimus. Sed quid commercii quietis illis civibus cum exteris Jesuitis & Monachis, Sybariticis illis canibus intercedit? quos quando ejiciendos esse ut alienarum rerum inspectatores monemus, boni civis officio defungi videmur. *Quarto*. Reclamente conscientia, Adversarius mendacii me arguere laborat, hunc in modum συκοφαντιῶν; *Ait deinde Gallos Papistas insonte Hollando milite, stupris polluisse virginem vestalem, in nupero excidio Thenensi. Mendacium itidem est, etsi initio sic à fama vulgatum.* Egone dixi insontem esse Hollandum militem? Ubi pudor! Recognosce, Lector, verba mea, & judica quid de hoc Theologiæ professore judicandum sit? Sic autem scripsi in Desperatiss. Caus. cap. 5. p. 22. Nullus dubito, quin Fromondus, si iterum scribat, multa de funesto Tienæ excidio peroraturus, omnemque culpam in doctrinam nostram derivaturus sit. Sed redarguent eum ipsa subsellia & cathedræ, quæ ministrorum, (flagitium hoc redarguentium) fulminibus coruscarunt. Noris, Fromonde, nos omnes detestari innocentium cædes, stupra, adulteria, ac incendia: Deumque quotidie precari, ne aliquando illius sanguinis, tam injuste effusi, exigat piacula. Quandoquidem in vicinia miseræ urbis sedisti, ignorare non potes Papistas fuisse, & quidem ferventissimos, qui primi signum ad lanienam sustulere. Galli erant, dilectissimi Pontificis vestri filii, qui postquam rapinis, cœdibus, & stupris omnia polluissent, ipsasque vestales virgines horrendum in modum adulte-

ratas ac læsas, præcedente cruce, velut triumphi fercula, incedere compulissent, ficis ac sclopetis irruere in milites nostros, qui alicubi forte aut ligneam crucem, aut objectam imagunculam loco suo moverant. An excusatum eo Hollandum militem? aut, an propterea ille ex meis principiis insons habendus, quia certum est exemplum ei factum fuisse à Gallo? sed addit noster: *Virgines à me examinatæ, fassæ sunt, se Gallis usq; ad sanguinem & vulnera, adversus impetum & insaniam Hollandorum defensas.* Papæ! At si à quibusdam Gallis hoc factum, ergo omnes insontes sunt. Aliqui quondam Lovanienses Theologi, nominatim Michaël Bajus & Martinus Dorpius eruditi fuerunt & à veritate haut alieni: Ergo conclude cum Magistro nostro omnes, etiam modernos fungos, ejusdem notæ ac commatis esse. At quæ virgines talem ediderunt quæstionem? aut quando? Credo cum inter genua cubarent? Apud Thomam Cantiprat. lib. 2. de Apib. cap. 30. n. 20. hæc narratiuncula occurrit: Presbyter quidam, nomine tantum sanctus & castus (tales plerique) monialem quandam altioris ordinis juvenculam, sub religionis specie (ut hodie ab iis fit qui cloppis sunt præfecti) procurabat. Nacta ergo occasionem, cum socia seniore, juvencula monialis presbyterum visitavit. Post lautos autem cibos & potum immoderatum, monialis in loco uno, & presbyter in altero quieverunt. Mane itaque facto, vetula monialis sociam juvenculam ad matutinorum executionem officii nisa est excitare. Quam cum strepitu primo, quia silentium tenebat, deinde pulsationibns attentasset, nec profecisset, surgens quæsivit sociam, nec invenit. Unde stupefacta thalamum sacerdotis ingreditur, & ambos in coitu mortuos, presbyterum & monialem, conjunctosque pariter, & auribus brachiisque inflexis turpiter, ita ut irrigidati nulla arte separari possent ab invicem, in lecto jacentes invenit. Solet quidem hoc tempore longanimis Deus rarius cloparum præfectos hac pœna afficere, interim certum est, plerosque eorum Faunis satyrisque salaciores esse: authorque malæ caussæ patrocinium apertissime prodit, quando adverissimi effati eversionem (quod *sextum* mendacium esse libenter imprudenti Lectori persuaderet) nihil aliud respondere potest, quam me *calumniatorem*

rem

rem & sycophantam esse. Quam sancti hi Domini sint, imo omnes qui Confessiones mulierum audiunt, si aliunde nobis non constaret, vel hinc liqueret, quod omnes pœne casuistæ anxie disputant, venialiter an mortaliter peccet parochus si dum confessioni auscultat, ex occasione eorum quæ audit, se ipsum polluat. Videatur Lessius lib. 4. de Justit. & Jure cap. 3. dub. 14. n. 98. Item Diana tract. 5. Miscell. res. 3, ubi multi alii citantur. Quid existimabimus autem de delicatis & ipso lupanari indignis interrogationibus, à viris continentissimis scilicet proponi solitis? Cor luteum omnino ac in venerem pune arguunt. Nec est necessum immensam exemplorum sylvam ingredi, quælibet apud nos civitas sine numero suppeditat. Præ aliis monachis sanctiusculi videntur Jesuitæ, inter eos autem longe eminuit Pater Cottonus, cujus meditationes tam fervidæ sunt, ut videatur Deum verbis fornicem olentibus sopire velle. Ille ipse tamen, qui gloriari solet intra viginti duos annos nullum mortale peccatum commisisse, Avenione condemnatus est, quod velatam virginem stuprasset: ausúsque est literas dare ad dominam Claransar de Nismes, in quibus testatur tantum esse amorem quo eam prosequitur, ut in paradiso non expectet perfectam lætitiam, nisi eam apud illam inveniat: teste authore pontificio libri, qui inscribitur Anticottonus. Bone Lector

---- *Crimine ab uno*

Disce omnes, ac memoria repete, quod anno 1582. in conventu Augustano accidit, cum Jesuitæ meditarentur dolium in collegium subvehere, è cujus fundo meretrix in publicas plateas prolapsum est. Unde notissimi hi versus;

Nuper in Augusta res gesta est digna relatu,
Nunc ubi conventus ordo supremus agit.
Vase lupam inclusam, casti junxere Suitæ,
Et finxere illo vitrea vasa tegi.
Dumq; sub alta trahunt nexo penetralia fune,
Luxatis tabulis, lignea vincla crepant.
Ecce regente Dei nutu, lupa vase soluto
Excidit, & fracto poplite planxit humum.

Nec tales tantum Patres paterrimi, sed alii multi è grege monachorum & clericorum, notum est, quod Petrus Matthæus lib. 5. Hist. Contin. sect. 2. de Petro Arrea Burdeo gente Hispano, secta Augustiniano cœnobita & Professore Theologiæ apud Tholosates refert: qui Tholosæ capite plexus & in quatuor partes dissectus est, quod cum Francisco Guiraldo viro consulari interfici per sicarios jussisset maritum speciosissimæ fœminæ Lusitanæ Violantillæ, cum qua uterque multos per annos caput collimare consueverat. Et ne quis forte putet post Lutheri exortum gregales aliquos sacrificulos & monachos in libidinis sordibus tantum volutari, iis immersi præ aliis sunt purpurati patres, & Dnn. Papæ. Ne vero Adversarius me mentiri clamet, omissis trecentis aliis hodie adhuc viventibus; unum Antonium Perenottum Cardinalem Granvellanum, quem facem turbarum Belgicarum fuisse constat, in proscenium adducere lubet. Ita vero de eo ipso Jesuita Fam. Strada lib. 4. Provinciam Neapolitanam quum rexisset, magna quidem prudentiæ laude, minore tamen pudicitiæ cura, quam senem sacraque ornatum purpura condecebat; Romam rediit. Sic & celeberrimus IC. Gentilis sæpe in publicis prælectionibus quas habuit in Academia Oxoniensi retulit, Hippolitum Aldobrandinũ sive Clement. VIII. cui diu condiscipulus fuerat, virũ mulierosissimũ fuisse. Etenim Scipioni tantum deferendũ, quantũ Balduino est. *Septimo*, mendax haberi debeo, si quis Adversario credere velit, quia dixi vetustioribus reformatoribus hanc quæstionem non fuisse propositam, quam veluti Medusæ caput Jansenius ostentare solet: *Qui estis, & unde venitis?* At si cui placuerit adire vigesimum octavum Desperatis Caussæ caput & vel ejus inscriptionem legere, mox Pœnos & Cretenses in Leodiensium fines colonias deduxisse cognoscet. De primis enim Reformatoribus expresse & diserte me negasse quivis qui oculos habet, videbit. Quæ ergo de Claudio Espensæo Bezæ vocationem in dubium vocante è Præsidis Thuani lib. 28. refert æquè insulsa sunt, ac quæ de Calvino, è Florimundo Ræmundo suæ farinæ homine, attulerat. Nec hilum homini admiraculum usque ineptienti prodest Ambrosius Catharinus fide Stapletoni citatus; neque enim congressurus cum

Luthero

Luthero (quod à Jansenio factum, & inter nos controversum est) quæsivit, quis esset & unde veniret: sed solum se mirari dixit, quod Lutherani non vocati aut missi tanta confidentia prædicandi munus obire sustinerent. At quid hoc ad rem? *Octavo* me invitum & reluctantem Adversarius in tribum suam, mentientium puta, pertrahere laborat, quia dixi *ne unam quidem replicam in tota Crisi eum adferre potuisse*, Verissimum vero illud esse, omnes cognoscent, quibus lubitum erit Jansenii Spongiam cum Desperata D. Voetii Caussa, & Lovaniensis Fromondi Crisi componere. Sed dicit: *Quid igitur egi per longam illam XLV. Capitum seriem?* Injurius fuisti in innoxias chartas, & quia forte nolarum apud vos caritas est, in iis animi stultitiam, & cerebri commoti excrementa orbi universo propinasti. Quid insulsius enim quam præteritis controversiis, de quibus inter Voetium & Jansenium serra reciprocabatur, antiquas fabulas de Lutheri diabolo, Zwinglii somniis, Calvini stigmate, ac Bezæ juvenis & Papistæ adhuc versibus ad nauseam & vomitum lectorum retexere? Pergit: Quid est, quod tanto anhelitu, per XLIX. Capitum labores Desperatissima ejus Caussa extricare nititur, & ne hilum proficit? Quasi vero anhelare quis soleat in difflandis plumis ac festucis: & libri ineptissimi alicui occasionem suppeditare non possint seriæ scriptionis:

ὁ πολὺ ἔχων τοῦ πεπερέως τίθησι κἂν λαχάνοις.

Deinde ne quis amplius dubitet eum conclamatæ stultitiæ hominem esse, repetere incipit insulsissimæ Criseos laudes, & quid in ea præstiterit per indicem ignaro lectori referre, dissimulando & detorquendo non tantum nostras responsiones, sed etiam sui Jansenii nomen reticendo, à quo idem in Spongia diu ante dictum fuisse animadvertent omnes, quibus placuerit quisquilias inter se comparare. Ego ex Hippocratis præcepto, homini desperato medicinam non adhibeo: obtestor tantum Lectorem meum ut scriptorum utrimque editorum collationem instituat. At quis ferat hominem contra solem pag. 59. sic ineptientem, aut verius mentientem: Dixerat tibi Crisis cap. 28. quare victi, non victores essetis. Si uxor tua famulæ imperasset eluere ollas & extergere, crederetne, inquiebam, bella ista famula, si omnes in parietem illi-
sisset

ſiſſet confregiſſetque ollas, officio ſe rite & ordine functam fuiſſe? Non enim magis ovum ovo, quam iſtud famulæ cum Lutheri facto, eſt ſimile. Miſſionem enim acceperat ad docendum Eccleſiæ Rom. fidem, cujus authoritate paulo ante academia & cathedræ Wittebergenſes fuerant erectæ: ſed ecce in contrarium verſus, qui miſſus erat ad ædificandum, cœpit deſtruere, qui ad ſuppetias ferendas, hoſtilis exercitus ſe ducem conſtitueret. Quæ vero tuus de aſino extraordinarie celerius currente, de M. Craſſo ἀγελάςῳ ridente, ſolennes horti ejus ſunt betæ. Egone eo loco ſimili illo uſus ſum? falſiſſimum. Recognoſce quæſo Lector verba mea & hominem hunc ad mentiendum auctoratum; ſic dixi cap. 30. Deſperatiſ. Cauſ. & adhuc dico: Argumentum vere ollare & fragile. Quis ita fungus enim, ut concludat inde ancillam illam alienam, nec unquam legitime fuiſſe conductam ut ancillam, quod abutatur jure ſibi in ollas conceſſo? Diſce, Doctor, abutentem poteſtate habere poteſtatem illi conceſſam fuiſſe. Agnoſce quoque verba tua: *In facultate morali data à ſuperiore ad ædificandum aut reparandum Eccleſiæ ædificium, nemo niſi bliteus & fatuus dicit ineſſe licentiam deſtruendi & omnia evertendi.* Diſputemus ergo an primi Reformatores Eccleſiæ fundamentum deſtruxerint: verbis enim tuis exarmas teipſum pariter cum Janſenio. Si enim primis Reformatoribus data facultas & poteſtas eſt ad ædificandum, etenim collata quædam in eos poteſtas fuit, nec cucurrerunt ante miſſionem, ut vos Tireſiæ fratres talpis perſuadere inito labore in piperis tunicis laboraſtis. Qualiter poteſtate illa uſi fuerint, everſa priori quæſtione, ſi nobiſcum diſputare quis veſtrum velit, galeati in arenam deſcendemus: tuas enim chartas quis inſpicere dignetur? Hic paſſim deferuntur

in vicum vendentem thus & odores.

Nos interea certo credemus viros ad reformandam Eccleſiam præterito ſeculo à Deo excitatos ſolidiſſimo *fundamento aurum, argentum, & gemmas ſuperædificaſſe.* 1. Cor. 3. *Nono* redarguor mendacii quia dixi Papanos ſecundum Jeſuitæ Vaſquis doctrinam diabolum adorare poſſe. Sed audiamus ejus verba, quæ occurrunt part. 3. diſp. 110, cap. 5. *Sicut ergo homo per lapidem, aut in*

lapide potest Deum hac sincera fide colere; sic etiam in radio luminis, quod apparet, poterit ex recta circa Deum intentione & affectu, ipsum venerari; & quamvis ibi dæmon esset, ipsi nullo modo aut affectus servitutis, aut exterior nota submissionis exhiberetur. Et paulo post: *Non est necessaria ignoratio, ut ab idololatriæ crimine ille excusetur, qui in radio illo luminis, vel specie crucifixi, sub qua dæmon delitescit, Deum adorat. Quare nec conditionem expresse addere oportet, ut recte & legitime adoratio fiat; & multo minus ea exprimenda est, quando Eucharistiam adoramus.* Quis non expallescat ad diabolicam hanc doctrinam? Jesuita dicit non opus esse conditionem addere expresse, quando crucifixum, sub quo dæmon delitescit, adoratur. Et tamen non potest videre Magister noster sic adorationem ad ipsum diabolum dirigi; imo audet Vasquesio patrocinari sic cornicando: *Intentio Deum à dæmone satis separat?* Sed si sola intentio occulta sufficit, nulli è Gentilibus idololatræ sunt habendi, neque enim alia intentione quam quæ ad Deum fuit directa, eum in idolis coluerunt. Sic ipsi apud Clementem lib. 5. Recognit clamant: *Nos ad honorem invisibilis Dei imagines visibiles adoramus.* Et Ambros. serm. 10. in Psalm. 118. *Gentiles lignum adorant, quia Dei imaginem putant.* Sed quid judicavit de iis Scriptura? coluisse creaturas, quia in iis Deum colere voluerunt. Sic enim Apostolus ad Rom. cap. 1. v. 25. *Veritatem Dei mutarunt in mendacium & coluerunt, ac servierunt creaturæ potius quam creatori.* Ubi conjungit creatorem cum creatura, liquidoque ostendit Gentiles propterea serviisse creaturæ, quia in ea colere voluerunt creatorem. Eodem modo qui Deum colere volunt sub crucifixo in quo delitescit diabolus, non Deum colunt sed crucifixum cum diabolo. Imo adorat ipsum diabolum; ut enim Bellarminus inquit lib. de Imaginib cap. 25. *Qui adorat aliquem adorat ea omnia quæ cum ipso conjuncta sunt.* Nec ad rem facit, quod Jesuita Vasquez dicit, *affectum servitutis, aut exteriorem submissionis notam ei non exhiberi, sed Deo. Nam sciat hoc etiam respondere illos, qui idola tanquam Deos adorant.* Ututar verbis Joannis Philoponi *authoris*, teste Jesuita Corderio à quo editus & in Latinam linguam translatus est, *ab omni labe puri*, in cap. 1. Gen. lib. 6. cap. 10. ubi disputans contra Theodorum Mopsessenum solide

execrandam hanc Jesuitarum distinctionem refellit. Pergit vero noster. *Quid si enim dæmon omnibus creaturis se inserat? An in nulla Deum adorare licebit?* Quid existiment Papani idololatræ, non moramur: illi cum Jesuita Vasqez loco s. c. credunt, exemplo stultorum Ægyptiorum, *licere in brutis animantibus & rebus sordidis exhibere* DEO *notam submissionis.* Orthodoxi tales perpetuo execrabuntur, & dicent cum *Ambr.* ep. 31. *Non vult se* DEUS *in lapidibus coli*: & cum Joanne Fero authore Pontificio in Jud. cap. 17. *Deus non curat intentionem nostram, sed verbum suum. Quilibet in Israele agebat, quod rectum sibi videbatur: & Micha ajebat: Consecravi illud argentum* DOMINO. *Decimo* iterum Cretensibus accenseor quia dixi Papanos secundum Jesuitam Costerum non tantum *frustulum panis adorare, sed attribuere vim expiandi peccata.* Sed egone dixi hoc expressis verbis de Pontificiis testari Jesuitam Costerum? ubi mi vir pudor? qu. 82. notavi brutam vestram ἀρτολατρείαν, & adduxi Costeri verba ex Enchir. cap. 8. ubi ultra Ægyptios & Lappos ἰδωλομανεῖν testatur eos, qui frustum panis colunt. Atqui hoc sufficiebat ad probationem quæstionis, quæ hæc tum erat: *An non Papanorum idololatria, longe magis detestanda est quam Ægyptiorum, qui Ibin, porrum, cæpe, &c. Lapporum qui olim pannum rubrum adorare solent?* Negabis forte à vobis coli *frustum panis*. Sed illud certo certius. Quis vestrum scire potest an sacerdos (qui ipse non potest certus esse de vocatione sua, quia nescit qua intentione baptizatus & ordinatus sit, teste Biel in Exp. Can. Miss.) intra consecrandum intentionem habeat faciendi illud quod Ecclesia faciat. Ea tamen intentio tam necessaria est ut conciliabulum Tridentinum Sess. VII. can. 11. sic decreverit: *Si quis dixerit in Ministris dum Sacramenta conferunt non requiri intentionem, saltem faciendi quod Ecclesia facit, Anathema sit.* Quod cum apprime exploratum haberet popularis meus *A*drianus VI. quodlibet quæst. 10. non concedit adorationem hostiæ nisi conditionalem, jubetque quemque apud se dicere, *adoro te si tu es Christus*, nullus enim mortalium certus esse potest de intentione sacerdotis consecrantis: sed fluctuare perpetuo debet. Antequam vero panem adoret, certus esse debet esse transub-

stantia

ſtantia tum in Chriſti corpus. Sanctes, repet. quarta cap. 12. *Oportet prius eſſe corpus domini atque ejus ſacramentum, antequam capiatur: ne ex delata ante uſum adoratione admittatur Idololatria.* Et quid ſi ſacerdos habeat intentionem? Myſticis tamen verbis non peragitur tranſſubſtantiatio, ſed panis ſubſtantia æque remanet ac ejus accidentia: utque panis ore guſtatur, & in ventriculo digeritur, ita etiam adoratur. Veriſſime Theodor. qu. 55. in Geneſ. ἀβελτοερίας ἐσχάτης τὸ ἐσθιόμενον προσκυνεῖν, *Extremæ dementiæ eſt adorare illud quod comeditur.* Quod adeo abſurdum viſum fuit Averroi ut in Comm. ad lib. 12. Metaphyſ. citante Jeſuita Salmerone tom. 9. tr. 18. §. Calvinus dixerit: *Quoniam Chriſtiani Deum ſuum, quem adorant, manducant, ſit anima mea cum Philoſophis.* Quid dixiſſet ſi apud Jeſuitam Vaſquez part. 3. diſp. 195. cap. 5. legiſſet: *Hoc eſt contra communem ſenſum Eccleſiæ, quæ ſpecies è loco ſordido erutas, tanquam verum Sacramentum veneraretur,* Vah! Papani adorare debent hoſtiam in ſterquilinio jacentem. & cur non? ut enim idem ibid. *Gregorius XI. in Directorio Inquiſitorum 2. p. 4. 10. damnavit aſſerentes ſub hoſtia conſecrata, projecta in lutum aut locum ſordidum non manere corpus Chriſti.* Orthodoxi amplectuntur Nyſſen. dictum, qui ita in Orat. Funebri Placillæ: ὁ γὰρ τὸ κτίσμα προσκυνῶν κἂν ἐπ' ὀνόματι τοῦ χριστοῦ τοῦτο ποιῇ, εἰδωλολάτρης ἐστι, χριστοῦ ὄνομα τῷ εἰδώλῳ θέμενος, *Nam qui creaturam adorat etiamſi in Chriſti nomine id faciat, ſimulacrorum cultor eſt, Chriſti nomen ſimulacro imponens.* Non puto operoſe probandum eſſe pani Euchariſtico ſive hoſtiæ vim expiandi peccata à Sophiſtis tribui. Notum eſt decretum Synodi Tridentinæ: de quo ita Bellarm. lib. 2. de Miſſa cap. 4. *Seſſ. 22. c. 2. cum docet Concilium per ſacrificium miſſæ remitti peccata, reddit cauſſam, quia eadem eſt hoſtia, & idem offerens, qui fuit in ſacrificio Crucis: eadem autem eſt hoſtia, & idem offerens, qui fuit in Cruce, ſive Miniſter ſit bonus, ſive malus.* Sed hoc eſſe ſacrificium panis fateri compellitur idem Bellarminus; lib. 1. de Miſſa cap. 27. ubi ita: *Negari non debet panem & vinum aliquo modo offerri in Miſſa. Hæc propoſitio patet primum ex ipſa liturgia. Nam cum ante conſecrationem dicimus, ſuſcipe ſancte Pater immaculatam hanc hoſtiam, certe pronomen hanc demonſtrat ad ſenſum id quod manibus tenemus, id*

autem panis est. Vndecimo, Magistrorum nostrorum alpha expugnatus à veritate fateri compellitur se in Voetii verbis adducendis omisisse voculam *saltem*, & tamen me mentiri audet dicere, quod plagii eum redarguerim. Impudentiorem hominem nunquam Creta insula tulit. Vide quæso, Lector, quæ à me dicta sint in Desperatiss. Caus. p. 28. & hominem, scio, detestari incipies. *Duodecimo* sic contra me Libertus nugatur: Ipse infami mendacie Bellarmini verba adulterat, & inhæresim suam depravat: supra ex Cardinale Bellarmino, inquit, audivimus, Nihil esse de fide, quod non sit scriptum apud Prophetas & Apostolos. Et tamen verba Bellarmini, quæ ipse paulo ante citat, sunt ista: Non potest aliquid certum esse certitudine fidei, nisi aut immediate continetur in verbo Dei, aut ex verbo Dei per evidentem consequentiam deducatur. Itane eadem sunt, verbum Dei, & verbum scriptum apud Prophetas & Apostolos? Nonne Bellarminus verbum Dei scriptum, & non scriptum dividit, & totos libros de verbo Dei non scripto, adversus hæreses vestras scribit? Quæso, lector, animaverte quantus impostor homo hic sit. pag. 254. Desperatiss. Caus. respondens ad decimam Sceptici Jansenii quæstionem sic inter alia scripseram: Supra ex Cardinale Bellarmino audivimus, nihil esse de fide, quod non scriptum apud Prophetas & Apostolos? respiciens scilicet ad locum Bellarmini lib. 4. de verbo Dei cap. 9. citatum à me pag. 239. qui ita habet: Nihil est de fide, nisi quod Deus per Apostolos, aut Prophetas revelavit, aut quod evidenter inde deducitur. Impudentissimus vero adversarius pro Punico suo ingenio ausus est eum componere cum altero loco Cardinalis è lib. 3. de Justif. cap. 8. adducto pag. 240. quia nihil ad manum invenire poterat, quod contra me insontem debacchandi materiam suppeditabat. Bellarminum vero, quem non inspexit, loco postremò adducto per verbum Dei non intelligere tam verbum scriptum quam non scriptum, sed solum illud quod ab Apostolis & Prophetis scriptum est, manifestissime ex eo ipso apparet. Verba ejus lib. 3. de Justificat. cap. 8. in vestibulo hæc sunt: Non potest aliquid certum esse certitudine

tudine fidei, nisi aut immediate contineatur in verbo Dei, aut ex verbo Dei per evidentem consequentiam deducatur. Fides enim non est, nisi verbi divini authoritate nitatur. Neque de hoc principio vel Catholici, vel Hæretici dubitant. Quis ita bliteus qui non videat Cardinalem tantum loqui de verbo Dei scripto; præterquam enim quod & tota disputatio quam ibi instituit hoc evincit, liquido idem apparet quando dicit, de principio illo neque Catholicos neque Hæreticos dubitare. At omnibus notum Hæreticos (ita phrasi papana Orthodoxi à Cardinale passim vocantur) solum verbum Dei scriptum agnoscere. Disce, humanissime lector, hac occasione duo. 1. Ingenium adversarii mei Lovaniensis à quo pudor, veritas, fides, & religio uno eodemque plebiscito sunt proscripta. 2. Papanorum quoque scriptorum: quibus quoniam non efficacia veritatis, sed erroris justo Dei judicio concessa est, quæ alias ut plurimum contra conscientiam in gratiam Papæ operose stabilire laborarunt, alibi per incogitantiam, aut potius cogente veritate, quæ ex invitis pectoribus solet erumpere, negant & evertunt. *Decimo tertio* scuticam iterum intentat Adversarius, quia negavi Cyprianum fateri in Epistola ad Jubaianum consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ sibi opponi à Stephano Rom. Pontifice. Illa enim Epistola contra Stephanum (cujus verbo non meminit) ex professo non est scripta: nec ad rem facit, quod per probabilem consequentiam videatur colligi posse, martyrem constantissimum voluisse Stephanum innuere. quærebatur tantum an ibi Cyprianus ex professo & expresse fateretur sibi opponi consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ. Illud negavi & adhuc nego. *Decimo quarto* inter boves censeri dignus sum, quia non potui animadvertere Oecolampadii fieri mentionem apud Lutherum tom. 7. libello de privata Missa. At quis tam aquilinis oculis,

cui non contingat alicubi παραβλέπειν. Et tamen adhuc diabolicæ calumniæ & mendacii manifestus manet adversarius: neque enim Lutherus dicit Oecolampadium (qui post editum illum libellum per annos quinque aut præter propter supervixit) à diabolo fuisse interfectum: sed tantum diaboli tentationibus & insultibus fuisse quassatum, ac in erroneam sententiam pertractum: audiatur ipse Lutherus: Sed si vobis sustinendi essent ictus diaboli, & audiendæ disputationes, non diu essetis cantilenam de Eccesia & veteri recepto more cantaturi. Equidem satis video, in David & reliquis Prophetis, quam graviter luctentur, & ingemiscant in his certaminibus & similibus contra diabolum & horribilem impetum ejus. Et Christus ipse(quamvis lacrymis, in quibus angustiis agonizavit, in his agonibus contra Satanam. Urget enim in immensum corda, nec desinit, nisi repulsus verbo Dei. Et ego plane persuasus sum, Emserum & Oecolampadium & similes, his ictibus horribilibus & quassationibus subito extinctos esse. nec enim humanum cor horrendum hunc & ineffabilem impetum, nisi Deus illi adsit, perferre potest. Quis non videt Lutherum tantum credidisse superatum à diaboli tentationibus fuisse Oecolampadium? sed inde noster Criticus probare laborabat eum ex mente Lutheri strangulatum & interfectum fuisse, ita enim pag. 19. Criseos loquitur de Zwinglio: Quo prælio etiam inter primos occubuit, natus annos quadraginta quatuor, minor Luthero quatuor annis, traxitque secum duobus mensibus post fidum Achatem suum Joannem Oecolampadium, annorum quadraginta novem, ætate adhuc florentem, qui casu amici brevi extabuit; nisi Luthero credere mavelis, qui Oecolampadium ictibus diaboboli horribilibus & quassationibus subito extinctum dicit. Judica, Lector, uter nostrum sycophanta sit habendus: egone qui ingenue παρέργμα meum fassus sum, an doctor Lovaniensis, qui per summam malitiam Lutheri verba detorsit? Dein redit ad Lutheri diabolum, at quis semper cuculos venari velit. Ignorantiam & imprudentiam vero postea toti orbi propinat, quando ita ait: Hæretici voculam unam, aut apicem male & incogitate positum, ut ille Gen. 3. v. 15. (intelligis quid velim) clamoribus diffamant, quasi

quasi ab isto uno araneæ filo, tota causæ moles dependeret. Sed an leve tibi videtur peccatum si id, quod uni Christo proprium, vitiato ipso Scripturæ textu, blaspheme detorqueatur ad virginem Mariam? Vide vero mi Doctor, quomodo in gratiam redeas cum duobus Papis Sixto V. & Clemente VIII. si enim vocula *ipsa* ab iis, ut ipse fateris *male & incogitate* posita est: etenim non per Spiritum Sanctum acti sunt in omnem veritatem, cum Bibliis corrigendis manum admoverent? *Decimo quinto*, mendax haberi debeo, quia negavi Zwinglium pugnandi gratia cum suis castra secutum fuisse: & ne desit color contra me testimonium dicere compellit Sleidanum. Sed quid ab eo dicitur lib. 8. Nam Tigurinorum, inquit, ita fert consuetudo, quum in hostem exitur, ut Ecclesiæ minister primarius una prodeat. Zwinglius etiam vir fortis alioquin & animosus, quum secum reputaret, quod si domi resideret, ac prælium forte fieret adversum, fore ut magnam ipse sustineret invidiam, quasi concionibus quidem accenderet hominum animos, in ipso autem discrimine remollesceret: voluit omnino communem subire Martem. Dicite omnes qui Latine intelligitis, an historicorum fidelissimus vel verbo innuat Zwinglium pugnandi ergo castra fuisse secutum? nisi forte secundum novam Latinitatem Lovaniensem communem Martem experiri idem sit, quod Marti se auctorare & pugnandi ergo in arenam descendere. Unde licebit in posterum concludere omnes uxores militum, pueros, mercatores, lixas, & calones, pugnandi gratia castra sequi, quia quandiu in iis degunt communis Martis aleæ sunt expositi. Sed dic, sycophanta, cur priora Historici verba omisisti, in quibus eandem caussam, quam attigerat Desperatis. nostra caussa, adducit? Voluit enim servus Dei consuetudini in ipso Papatu apud Tigurinos receptæ parere, nec suos in extremis periculis deserere. Philippi Nicolai furibundi ac male-sani Lutherani testimonium pili non facimus. Pugnandi ergo arma induere solent Jesuitarum filii. testis est ipse Colterus Apol. part. 3. cap. 9. ubi hæc lego: *Ais Sanderum nostrum, & cæteros conjuratos in Hibernia contra serenissimam Reginam Angliæ armatos fuisse. Respondeo, Dominum Sanderum cum aliis sacerdotibus fuisse exercitui auxilio in his, quæ conscientiam concernunt.*

cernunt. Quid hic mali? At vero jure

--- *clamet Melicerta perisse*

Frontem de rebus;

Audet enim adversarius infelicem disputationem de Zwinglii somnio refricare, ignorantiamque suam dissimulare. Inter Jansenium & Voetium controvertebatur an Zwinglius à diabolo quid didicisset; quod cum hic negaret, Noster ex proverbiali hoc dicto *albus an ater*, probare laboravit, atrum aliquando malum notare. Ignotum fuisse spiritum judice ipso Zwinglio ego & Voetius semper diximus: quid ad rem ergo quod noster suimet ipsius & Jansenii proditor hoc loco à veritate expugnatus iterum fateatur, simul fassus esset ignorantiam suam, ut paulo post agnoscit παρέργμα, aut potius malam fidem, in citando Bezæ loco. *Decimo sexto*, mendax ego haberi debeo, quia ipse à mendacio & calumnia se purgare non potest. Dixerat in Crisi cap. 25. *anno* 1555 *Bernenses tota sua ditione Calvinisticam fatalitatem proscriptam eliminasse*: quod cum falsissimum esse cap. XXVII. Desperatis. Caus. multis ostendissem, addidi me credere hanc διαβολὴν ab eo ipso in mucoso cerebro cusam esse: quod altum de ea, si unum Joannem Brerleum, quem dein etiam laudavi, excipias apud Papanos scriptores sit silentium. Ut vero me falsi redarguere & fidem suam asserere possit, laudat testem intestabilem Franciscum Balduinum, Ecebolium alterum. Sed an ille mentiendo mentienti patrocinatur? nequaquam: innuit tantum Calvini doctrinam de servitute humani arbitrii proscriptam esse. Audi ipsum Adversarium, Lector, & quid de eo existimandum sit judicia; sic vero loquitur p. 65. Nam Franc. Balduinus ad familiarem suum olim Calvinum: Quam hæc tibi, inquit, admonitio (Melanthonis, qui non probabat librum ejus de servitute humani arbitrii) vel tu huic Magistro; quem mihi das, parueris, testantur ea quæ postea tanto vehementius contra scripsisti, & in quibus sic tumultuatus es, ut ne quidem tui aliqui fœderati ferre potuerint, tuam in hoc genere intemperiem, & suos Ministros tibi subscribere. Testis est (attende aurem) ipsius Senatus Bernensis sententia, lata III. April. M.D.LV. quæ tua illa axiomata procul ex suis ditionibus

nibus faceſſere juſſit. Ubi hic dicit Balduinus Bernenſes eliminaſſe doctrinam Calvini de fatalitate? Niſi forte ſecundum formulam Theologiæ Lovanienſis Doctrina de abſolutis Dei decretis, & Libero arbitrio (de quo mentitur Balduinus) unum eundemque locum communem conſtituat & coincidat. Ejuſdem notæ eſt quod addit, de proceribus Friſiæ: neque enim decreta ſimilia (de prædeſtinatione ſcilicet) Synodi Dordracenæ è Regionibus ſuis juſſerunt faceſſere. Nec hoc ab Apoſtata Tileno à Doctore ad partes vocato dicitur. Loquitur enim ille de regulis Eccleſiaſtici regiminis, quæ poſt diſceſſum exterorum Theologorum, à Theologis Belgis examinatæ fuerunt. Niſi forte decreta Synodi Nationalis de dogmatis fidei ſecundum Libertinicam μωροσοφίαν confundenda ſint cum regulis Regiminis Eccleſiaſtici, de quibus locutus eſt Tilenus. *Decimo ſeptimo*, redit ad diſputationem Bellaquæam, meque ut mendacem traducere laborat, quia veriſſime dixi in ejus narratione referenda Janſenium à Voetio mendacii fuiſſe convictum. Sed quid ipſe interim? κοκκύζει: & quæ ante ab infeliciſſimo diſputatore Janſenio dicta ſunt, è Præſide Thuano ac Pertono repetit. Interim bonus Janſenius trium horum mendaciorum manifeſtus manet: 1. Quod ne unus quidem locus unanimi delegatorum judicio verus ſit deprehenſus. 2. Quod Pleſſæus attonitus ſucceſſu præcedentis velitationis inciderit in ægritudinem violentam. 3. Quod Pleſſæus Regi, Cancellario, Epiſcopo ſpoponderit, ſe Lutetia non diſceſſurum, niſi illis monitis: convaluerit vero, hoſpitium per ſingulos dies mutaverit, neminem adjerit, noctu ambulaverit, inſalutato Rege, Cancellario, Epiſcopo fugerit. Quæ infeliciſſimus Janſenii advocatus Fromondus nunquam è quo ἀξιοπίστῳ hiſtorico probare poterit. Vide quæſo, Lector, Voetium Deſp. Cauſ. l. 3. ſect. 2. cap. 10. Deinde per ſatyram quaſi quædam è mendaciis meis, ut loquitur, puerilibus commemorare inſtituit. qua fronte & fide, quæſo humaniſſime Lector arbitrare. *Decimo octavo* ergo mendacibus accenſendus ſum, quod dixi, *per triplicem Papæ coronam blaſpheme innui, ipſum Papam imperare Trinitati.* Sed hoc

docet per infallibilem consequentiam Cornelius à Lapide Jesuita jam olim à Voetio in Desp. Caussa citatus, & iterum à me ad partes vocatus in Desperatis. Caussa. An tertio iterum ex eodem authore in gratiam aspidum aurem obturantium Testimonium idem erit adducendum? Ut omnes Lovaniensem Disputatorem nosse incipiant, integra Lapidei verba, quæ occurrunt in Comm. ad 6. Zachar. caput v. 11. p. 697. Edit. Nutii anni 1628. adscribam, ut omnes discamus serio detestari Jesuitas blasphemos. Ea vero hæc: Pontifex Romanus triplicatam gestat coronam, Primo, quia est sponsus & princeps Ecclesiæ, quæ est victrix, triumphatrix, & regnatrix totius orbis. Secundo, quia regem Christum quasi vicarius repræsentat. Sicut ergo regnum Christi supereminet omnibus regnis, ita æquum fuit hoc diadema eminere inter omnia diademata. Tertio, quia tribus orbis partibus, Asiæ, Africæ, Europæ præest. Quarto, quia ternarius symbolum est æquitatis summæ, quæ requiritur in Pontifice. trias enim est prima sedatio discordantis dyadis, ac libramentum munerum Justitiæ & rerum omnium. Quinto, quia repræsentat S. Trinitatem, cujus est sacerdos & Pontifex. Sexto, quia trias significat omnium virtutum, rerumque consummationem quæ fuit in Christo, & suo modo debet esse in pontifice. Sed si repræsentat Trinitatem, an non simul significat Papæ imperium in Trinitatem competere? Etenim sicut non tantum significat tres orbis partes sed imperium quod Papa in eas sibi vendicat: Ita non tantum significat Trinitatem, sed maxime imperium. Imperii enim index corona est: & quicquid ratione figuræ signat, signat per modum imperii, ut apud nos norunt,

qui nondum ære lavantur.

Nec mirum gregalem Jesuitam Lapideum ita βλασφημεῖν: superiore capite similes plures alios produximus. Quibus hic tantum adjungo Bellarminum, qui ita lib. 2. de Concil cap. 17. Omnia, nomina quæ in Scripturis tribuuntur Christo (unde constat eum esse supra Ecclesiam) & Pontifici Romano ad primatum ejus asse-

asserendum tribuenda sunt. *Decimo nono* mendacii redarguor, quasi dixerim *secundum principia Theologiæ Papanæ sacerdotes digniores esse Christo, quod Aaron fuerit dignior vitulo.* Ubi pudor! p. 144. cum variis adductis testimoniis è Papanis Scriptoribus ostendissem missificantes sacerdotes ultra angelos extolli, & æquales statui Christo, usus etiam hoc argumento inter alia sum: Quicunque sacrificat dignior est victima quam offert, Papani sacrificuli secundum domesticos doctores sacrificant, Ergo digniores sunt victima quam offerunt. Consequentiam autem probavi ex eo quod Aharon qui fuit typus Christi Hebr. 5. v. 7. dignior extiterit vitulis, hirco, & agno peccatorum. Hanc sequelam si infringere voluisset iniquissimus adversarius rationes attulisset, nec indubitatæ veritatis argumentum mendacio & diabolica calumnia obscurasset. Si probare possit me è Papani alicujus scriptoris mente locutum fuisse, non renuo, quin K fronti inuratur. At cur adeo παρατραγωδιεῖ? An non Jesuitici scriptores sacrificulis potestatem concedunt contra Deum, divina majorem, cum docent eos consecrare posse in malum pro ipsis veneficiis & incantationibus? Sic enim Vasquez in 3 p. Thomæ disp. 171. n. 17. Constat sacerdotibus commissam fuisse potestatem consecrandi, ita ut si vellent consecrare in malum usum, nempe pro veneficiis & incantationibus consecratio eorum effectum haberet. *Vigesimo* ejusdem criminis falsi scilicet adversarius me iterum reum peragere laborat, quia dixi *S. Franciscum esse successorem Luciferi.* At cur hoc dicere non licuit? Franciscus enim de Assisio collocatus fuit in sedem Luciferi. Qui mihi non credit, fidem habeat libro Conformitatum Francisci, in eo fol. 24. ubi collatio inter eum ac Johannem Baptistam instituitur, hæc leguntur: *Sanctus Iohannes in ordine Seraphico sublimatus: Beatus Franciscus, in ipso ordine, in sede Luciferi collocatus.* Rogo vos, fratres cordigeri, ignoscatis Doctori Lovaniensi neganti præcipuam patris vestri Francisci gloriam, quam ego ex aureo scilicet libro F. Barrholomæi de Pisis Theologiæ Magistri indignissimi asserere laboravi. Ni enim vestra versutia excusaret, monerem ut ad sacram Inquisitionem deferretis.


Quid? An non vester Patronus dignus Luciferi sede? illustravit radiis sanctæ hypocriseos tenebricosam synagogam Romanam, adjutusque à solo Dominico totum propiorem è somno peccati excitavit. Sic enim lego apud Joannem Fischerum Episcopum Roffensem, secundum Bellarm. lib. de Script. Eccles. etiam Martyrem Christi: Resp. ad 4. ait Lutheri. Nam Franciscus & Dominicus cum esset Christus prope modum oblivioni traditus, velut mortuus à corde sollicitudine sua mundum ex altissimo peccati somno stertentem excitarunt. At transeat hoc Doctoris nostri erratum cum cæteris: verum Platonis effatum in Hippia est: Multum ignoscitur illi, qui per ignorantiam infert. *Vigesimo secundo*, vapulo quia dixi Norberti flagitia falso adscribi Tanchelino ejus Antagonistæ. Sed verissimum illud esse liquet ex iis, quæ à nobis dicta sunt cap. 41. Desperatis. Causs. & quæ fuse disserimus in Opere de fide Belgarum propediem si vitam & otium Deus concesserit, edendo. Noster quia ex rationibus à nobis allatis nullam attingere sustinuit, prolixius quoque non refutandus. Pergit vero & *vigesimo tertio* sic nugatur; valde etiam velim scire, quo auctore narret, P. Cottonum consuluisse diabolum, cum in Scriptura nullum locum pro Purgatorio invenire posset. Sed nisi tam hospes in recentioribus historicis, quam in Theologia existeret, authorem haut ignoraret. Is vero præses Thuanus est, qui lib. 132. ad annum 1604. referens inventam fuisse casu in quo libro schedulam P. Cottoni, in qua notatæ erant variæ quæstiones, quarum veram solutionem ex Hadriana Fraxinea, quæ à diabolo obsessa esse credebatur, cognoscere desiderabat, testatur hanc fuisse quæstionem decimam septimam; sive eruditarum secundam: (reliquæ enim curiosæ erant) Quis evidentissimus Scripturæ locus ad probandum purgatorium & invocationem sanctorum? Viden' Lector me veritati, cum de Cottono hoc referrem, litasse, & Adversarium per totam epistolam sui similem esse? Dein *vigesimo quarto* ita ait: Hoc tam verum existimo, quam P. Cornelium à Lapide ut invidiæ & malevolentiæ nostrorum DD. cederet, relicto Lovanio debuisse migrare Romam. Cujus stultissimi


ſimi mendacii nulla hîc memoria, nulla mentio (quod ſciamus) unquam fuit. Quaſi vero hodie non adhuc multi ſint ſupeiſtites, qui teſtari poſſent Cornelium Lapideum relicto Lovanio Romam abiiſſe, & plauſu lectiones terminaſſe, cum decreto Hiſpaniarum regis publicis lectionibus Theologicis (poſt importunas preces ac legationes Magiſtrorum noſtrorum) Jeſuitis interdictum eſſet. *Vigeſimo quinto*, ad ſeipſum redit, & perſuadere incautis laborat in veritatem me injurium fuiſſe, cum ſcriberem pleraſque controverſias de quibus Voetio cum Janſenio lis erat, à ſe præteritas eſſe. Sed nihil me finxiſſe videbunt, quibus placuerit Voetii Deſperatam Cauſſam cum Criſi conferre. *Poſtremo* non tam in me, quam bonos ſuos catholicos Trajectinos debacchatur: ex quibus quatuor adhuc in vivis eſſe credo, qui non mihi ſoli ſed pluribus aliis retulerunt, Critici, quem quondam Lovanii noverant & præceptorem habuerant, ſcripta Theologica examuſſim convenire fritillo ac tubulo tabacario. Cum pſalterio & cantico ſi velit exiſtimationem ſuam aſſerere, non mecum, ſed cum authoribus meis expoſtulet: quorum nominibus, ſi neceſſitas exigat, nequaquam parcam. Sic vero dicit: Fritillum & aleas nunquam tractavi. Ergo ignarus eſt Alphabeti Clericorum: ut enim liquet ex libello qui inſcribitur A. B. C. Clericorum edito ante tempora Lutheri, prima ſacerdotum elementa ſunt cantharus, alea, & focaria. Addit: Tabaci bibulus adeo non ſum, ut fumum illum odio & deteſtatione proſequar. Si quis Lovanii, aut uſpiam ſugentem me unquam viderit, non abnuo, quin navem ei tabaci plenam, & alteram hellebori onerariam addam, qua naviget Anticyras. Sed an in verbis his non deliteſcit æquivocatio Jeſuitica? Nos vero miſeros, quibus non licet tam beatis eſſe, ut totam onerariam navim helleboro onerare poſſimus! At Deo gratias! non indigemus ſacra hac herba: gaudeat ea Lovanienſis Chryſippus, imo ut medicamento ſibi neceſſario utatur. Hactenus eam adhuc delibaſse

non videtur, cerebro enim rite expurgato si ad scribendum accedisset, felicius etiam disputasset. Tu lector candide de omnibus judica.

FINIS.




135


137

a 005647235
b 005647236